7.

ANTIQUITATES MARCHIONATUS VT ET ORIGINES LANDGRAVIATUS THURINGICI,

HERMANNO I. ET II. E STEMMATE COMITUM WINCEBURGICORUM, ANTE TEMPORA LUDOVICI III. LANDGRAVII THURINGIAE ADSERTAE ET AD MAJOREM THURINGICAE HISTORIAE ILLUSTRATIONEM EXPOSITAE

A

JOANNE GEORGIO REINHARDO.

DRESENAE,
Apud JOAN. CHRISTOPH. ZIMMERMANNUM,
ANNO MDCCXIII.

~~27.~~ 7.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtrisſimo Domino,

DOMINO

WOLDEMARO

LIBERO BARONI

de LÖWENDAL.

Eqviti Ordinis Elephantini, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Poloniarum Regis & Electoris Saxoniae Summo Aulae Mareſchallo, Miniſtro Status Intimo, in Tribunali Redituum Praeſidi, Rerumqve Metallicarum Directori Supremo, Dynaſtae in Elſterwerda, Krauſitz, Gotska & Holldorff &c.

Domino ſuo Gratioſiſſimo.

Digitized by Google

Illuſtriſſimo Domino,

DOMINO

JACOBO HENRICO de FLEMMING,

S. R. J. Comiti, Regni Poloniae Supremo Rei Tormentariae Praefecto, Magni Ducatus Lithuaniae Stabuli Primario Comiti, Sereniſſimi ac Potentiſſimi Poloniarum Regis & Electoris Saxoniae Campo-Mareſchallo, Miniſtro Status Intimo, Conſilii Militaris Praeſidi, Eqvitum Prætorianorum, Nobilium Tyronum, & Eqvitum Feudorum Nobilium Praefecto Generali, Munimentorum in Saxonia Electorali Gubernatori, Duarum Cohortium Duci, Hereditario in Pomerania ulteriore & Principatu Caminenſi Mareſchallo. Ordinis Melitenſis deſignato Commendatori, Ordinis S. Andreae Eqviti, Caſtellano in Martentin & Bök, Dynaſtae in Slaventzice, Slabotzewitze & Wolczyn &c.

Domino ſuo Gratioſiſſimo.

Illuſtriſſimi Domini

Domini Gratioſiſſimi

Ii, qvi patriae Decus ſummo ſemper loco habendum ducunt, ejusqve contemplatione afficiuntur maxime, illud etiam non minus ad ſplendorem ejus pertinere jure ſuo arbitrantur, ut, qvemadmodum ſuorum temporum memoriam, per longas ſeculorum aetates, perennem eſſe

cupi-

Digitized by Google

cupiunt, ſic illorum qvoqve fata ab interitu vindicent, ſeculoqve reſtituant, qvorum notitiam, temporum injuria, vel plane abſconditam, vel tenebris involutam, ſerae reliqvit poſteritati. Hoc enim eſt ingenui Civis officium qvod Patriae debet, hoc eſt, qvod Reipublicae dignitas reqvirit, hoc eſt, qvod majorum non minus, qvam poſteritatis memoria efflagitat, ſummoqve jure expoſcere videtur. Qvae, cum animo mecum reputarem diligentius *Illuſtriſſimi Domini*, & rationem qvaererem teſtificandae Pietatis, qvam jure perſancti ac Vobis dicati clientis, ſempiterna gratae mentis

tis

tis lege debere profiteor, eam elegi ſcribendi materiam, qvae nunqvam adhuc juſto ordine tradita, haud multis cognita, ſaepius deſiderata, Herorum in Germania res geſtas exhibet, qvorum memoriam, ſuo aevo ſancte cultam, ſeculorum inſeqventium injuria abſconditam tenuit ac diu ſepultam. Accipite igitur, *Domini Illuſtriſſimi*, hunc, qvem demiſſe offero ingenii mei foetum, qvi Provinciae, inter Germanas, olim non minus, qvam nunc longe celeberrimae, Antiqvitates explicat atqve Origines, in qva regenda Sereniſſimo Regi, Vos Ipſi, prudenti Conſilio adſiſtitis. Acciptie hoc obſer-

Digitized by Google

obſervantiae meae, devotaeqve mentis monumentum, qvod *Illuſtriſſimo Veſtro Nomini* conſecrare audeo, & qvod unice in vobis habeo atqve contendo, Gratiae ac Favoris continuationem, qvam demiſſo ſemper mentis cultu promereri, nihil mihi prius erit unqvam, nihil antiqvius, date atqve concedite.

Illuſtriſſimarum Veſtrarum
Excell. Excell.

Dabam Dresdae Kl. Octobr.
MDCCXII.

Devotiſſimus cliens & ſervus

J. G. Reinhardus.

CASPAR HENRICUS HORNIUS. JC.
AUTORI
S. P. D.

ETſi Germanicarum rerum monumenta perqvam multi eruditiſſimi Viri per duorum Seculorum ſpatia maximo ſtudio indefeſſaqve induſtria certatim excuſſerunt, qvamplurima etiam ex tenebris feliciter protraxere in lucem; nec in hunc usqve diem deſunt, qvi laudabili conatu omnibus viribus in hanc incumbunt curam, ut qvotidie rebus iſtis clarius præferant lumen: Nemo tamen, earum vel mediocriter peritus, inficiari poteſt, magnam partem adhuc obſcura caligine tegi, cujus diſcusſio illis relicta, qvibus ingenium ac diligentiam in his ſtudiis periclitari animus eſt & cupido. Non multo labore opus, ut exemplis, qvod diximus, comprobemus. Qvot qvæſo hiatibus, qvot defectibus ſola Saxonica laborat hiſtoria? Qvibus tot tantisqve in Saxonia Viri eruditi, & percelebres non-

Digitized by Google

dum potuerunt mederi. Qvam multa ignoramus, ſi de rebus Miſniæ qværatur? Qvoties hæſitamus, ſi in Thuringorum verſamur monumentis? Unicum Marchionum Thuringiæ argumentum tanta obſcuritate involutum eſt, ut eos multi plane ignorent, pauci in ſcriptis ſuis, & qvidem obiter ſaltem tangant, plerisqve porro, multis obſtructum difficultatibus, non poſſit non videri: Nemo autem data opera & ex inſtituto, antiqvis, qvæ ſuperſunt, ex monumentis, initia & rationem, ac interitum eruere tentaverit horum Marchionum. Multa, qvod ad Thuringiam attinet, debemus, ut alios taceam, SAGITTARII & TENTZELII doctiſſimorum pariter ac ſolertiſſimorum Scrutatorum Hiſtoriæ Patriæ, induſtriæ & laboribus, qvi nulli operæ pepercerunt, in conqvirendis & indagandis omnibus, qvæ ad illuſtrandam Thuringiam facere poſſunt: Fruſtra tamen in nobilisſimis illorum ſcriptis, qvæ publicam aſpexere lucem, qvæſiveris notitiam perfectam hujus Marchionatus. Qvas enim celeberrimus SAGITTARIUS ſpopondit publicæ rei, antiqvitates iſtius Marchiæ, eas, qvantum ego qvidem comperi, nunqvam juris publici factas eſſe, ſed vel mortem laudati Viri, complementum harum meditationum prævertiſſe, vel latere illas fortaſſe ſchedas alicubi magno cum rei literariæ detrimento, oppido eſt dolendum. Perqvam itaqve mihi gratum atqve jucundum fuit, qvum intelligebam, Te NOBILISSIME VIR, thema hoc de relictum ab aliis, feliciter occupaſſe; qvumve offerebas

bas mihi nuper in urbe Dreſda, eruditisſimum tuum de Marchionibus Thuringiæ Scriptum, legi illud ac perlegi avide, & cum voluptate inter judiciarias operas, qvorum cauſa in Aula degebam, expertusqve ſum, recte & ordine eo, qvo decet, te in hac re difficili verſatum eſſe, ac ex ſcriptoribus & monumentis aliis, rei coævis & idoneis, omnia conqviſiviſſe magno ſtudio judicioqve, qvæ ad rem pertinent, & ex qvibus ortus & formula, occaſusqve Marchionatus noſtri cognoſci poteſt. Vidi etiam, Te multa alia, ab hoc argumento non aliena, admiſcuiſſe, qvæ non pasſim obvia ſunt, multamqve tuam lectionem profundamqve ſcientiam produnt rerum Patriarum. Qvam rem tibi, VIR CLARISSIME, ex animo gratulor, impense lætans illud eveniſſe, qvod jam dudum ſum auguratus. Memini enim, & jucunde recordor, te jam eo tempore, qvo Wittenbergæ commorarere, utererisqve hoſpitio meo, dulcedine Germanicæ Hiſtoriæ captum fuiſſe, ſtudioqve huic non exiguam dediſſe operam, ejusqve Scriptores, qvos exilis mea penus tibi ſuppeditabat, ſtudiose evolviſſe, ac perluſtraſſe. Nunc vero compertum habeo, & poſtea hanc rem tibi cordi & curæ fuiſſe, eoqve te nunc perveniſſe, ut præclara plane & ſolida ex te tuaqve induſtria expectari qveant. Qvo ipſo OPTIMI PARENTIS, Viri Summi & de publica re, hisqve etiam ſtudiis immortaliter meriti veſtigia feliciter premis, cui EGINHARDUM nobilisſimum Carolingici ævi ſcriptorem debemus, in Academia Julia qvon-

qvondam ante octo luſtra egregiis commentariis exornatum: Ut alia nunc ſilentio præteream, qvibus Tantus Vir publicam juvit utilitatem. Age itaqve, VIR NOBILISSIME, & qvoad otium eſt, rebus hiſce, ea, qva cepiſti, animi contentione ſupereſſe, ac præſens qvidem Thema præſertim, excolere ulterius & illuſtrare perge. Velim &, ſi mea vota addere licet, ut argumentum Comitatus Palatini Thuringiæ, cujus in doctisſima tua diſſertatione mentionem feciſti, pari obſcuritate laborans, eadem alacritate aggrediaris, perſvaſumqve tibi habeas, eandem gratiam, qvam nunc promereberis, apud omnes æqvos harum rerum æſtimatores te initurum eſſe. Qvod ſupereſt, Deum immortalem precor ac rogo, ut tibi omnia fauſta fortunataqve & gente tua, Virtute & eruditione digna, contingant, eoqve in loco mox videam te collocatum, ubi publicam rem curare & exornare, ejusqve emolumenta feliciter promovere qveas! Vale! Perſcribebam Freibergæ in tranſitu, qvum Dresda Wittenbergam redirem, X. Calend. Octobris

A. O. R. MDCCXII.

An-

Digitized by Google

ANTIQUITATES MARCHIONATUS THURINGICI.

§. I.

CElebre eſt, inter ſcriptores primi & ſecundi aevi, THURINGORUM nomen, aliis ſub WERINORUM, aliis THUROGORUM, aliis deniqve THYRIGETARUM, & TUNGRORUM, appellatione memorarum. HEROLDUS, & poſt eum LINDENBROGIUS, loctiſſimis Legum Germanicarum Codicibus, Legis ANGLIORUM ET WERINORUM, HOC EST, THURINGORUM, faciunt mentionem. CASSIODORUS *Lib. I. Epiſtolarum*, Theoderici, Oſtrogothorum Regis, *Epiſto- III.* qvam etiam exhibet GOLDASTUS, *Conſtit. Imp. p. 5. 191.* *Werinos* a *Thurogis*, (ita enim Goldaſtus) ſeu *Thuringis* ſtinctos tradit. RAVENNAS *Chorographus L. IV. C. XXV.* m *Tungris* confundit: idemqve facit GREGORIUS TU-ONENSIS *L. II. C. IX.* Nos, mediam tenentes viam, utri-

 qve

qve ex prioribus Sententiae accedimus, & Werinos ſeu Varinos, qvi Seculo ſecundo, ex TACITI *Germ. Cap. XL.* teſtimonio, prope Angilos trans Albim ad mare habitarunt, Seculis vero inſeqventibus, Angliorum exemplo, ſede ex parte promota, cis Albim, in Cauchorum regione ad Werram conſederunt, pro parte Thuringiorum ſcriptoribus haberi, ac a Thuringis, nomine qvidem disjunctos, haud aliter tamen ac Hermunduros, Semnones, Longobardos, a Suevis, Wilzos, Luiticios, Luzicios, a Slavis, differre ſtatuimus. Qvemadmodum enim a Varna, olim Varinos, ita nunc Werinos, a Werra, i. e. Viſurgi, dictos, veritati accedere cenſemus. Retinere autem apud Scriptores Viſurgim Werrae & Wirrahae nomen, tam infra ab origine, qvam etiam poſt cum Fulda conjunctionem, probat WINCKELMANNUS *Chron. Haſſ. p. 60.* nec minus usqve ad Oceani oſtium eodem nomine inſigniri, Documentorum autoritas firmat. Vid. *Capitulare Caroli M. apud Baluzzium de An. DCCLXXXIX.* Confirmat ſententiam PROCOPIUS *L. IV. Bell. Goth. Cap. XX.* qvi ſuo tempore, Varinos trans Albim ſedes habuiſſe, & Rheno a Francis ſeparari, a Septentrione vero Oceanum terminum habere, docet. Accedit, qvod TACITUS *cit. loc.* Reudingos, Varinis vicinos faciat, qvos pro Thuringis habet CLUVERIUS, *Germ. antiq. L. III. Cap. XXVII.* & BUCHERIUS *Belg. Rom. Lib. XIII, p. 394.* & tam Varini, qvam Thuringi, Vandali, ſcriptoribus dicantur, vid. CLUVER. *Geogr. p. 180.* Imo uſitatiſſimum ſemper fuit, a fluminibus nomen accipere, illisqve dare, tam Germanis noſtris, qvam aliis gentibus. Ita Stormarii, a Stora, qvi Reginoni, & Adamo Bremenſi, Sturia: Nordalbingi Saxones, ab Albi nomina acceperunt. Pagis, Moſellano, Moſella, Moſano, Moſa, Hainoenſi, Haina, nomina dederunt, &

& Pliſſenſis terra a Pliſna amne dicta eſt, a Suevis, Suevus amnis, & mare Suevum, appellationem acceperunt. Atqve hac ratione, de Werinis, i. e. parte Thuringorum, intelligendus eſſe videtur WITECHINDUS, in iis, qvae *Lib. I.* de prima Saxonum in Germaniam expeditione, & rebus in Hadeleria, Werram inter & Albim, fortiter contra Thuringos geſtis, commentatur.

§. II.

Coeterum, gens Thuringorum, inter Germanas, rebus, pace non minus, qvam bello, geſtis, clara, Francis, ſedibus patriis minus contentis, & vicinorum deſtructione ſuum augentibus imperium, invidiam movere videbatur. Non contenti enim Regnum longe potentiſſimum, ſub qvinti ſeculi finem, tributis ſubjicere, vid. GREGOR. TURONENSIS *L. II. Cap. XXVII.* GESTA FRANC. EPIT. *Cap. X.* GREGOR. TURON. *Excerpta Chron. Cap. XXXII. ap. Freherum Corp. hiſt. Franc.* ſeculi tandem inſeqventis An. XXIV. Saxonum auxilio, & praedae partem, Thuringiam, qvae Septentrionem vergit, ſeu Tranſunſtruthanam, vel qvod Okram, Salam, Albim, & Harticos montes interjacet, ferentium, funditus illud everterunt. AIMONIUS *L. II. Cap. IX.* WITICHINDUS *L. I.* GESTA FRANC. EPIT. Cap. XXII. Qam ſancte coluerint Saxones, hujus victoriae memoriam, indicant dies feſti, menſe Octobri, in qvem Thuringorum clades incidit, celebrati, atque communes dies, a communi qvaſi gaudio dicti. Ita enim CHRON. VETUS *Ducum Brunſv. & Luneburg.* ap. *Leibnit. T. II. Scr. Brunſv. p. 16. Haec ergo dies Victoriae laeta & celebris, apud Saxones communiter habita, communio dicebatur.. Unde communes di-*

 cun-

Digitized by Google

cuntur Dies , qvi in Octobri ſervantur , ut obſervantia ſuperſtitioſa Saxonum , qvi tunc pugnaverunt , modo ipſum Chriſtum colentibus , ad religionem tranſeat pietatis. Verum nec Saxonum diuturna & qvieta, bello partae regionis, fuit poſſeſſio, Francis, vicinos potentes aeqvo animo non ferentibus. A Clothario ſiqvidem Seniore, Clodovaei filio, Chilperici patre, teſte AIMONIO *L. IV. Cap. XXVII.* ANONYMO *in geſtis Dagoberti Cap. XXXI.* tributum ſolvere coacti ſunt, qvod tamen iterum remiſit Dagobertus. Vid. AIMONIUM & ANONYMUM *in geſtis Dagoberti* cit. loc. Reſuſcitavit poſtea lites Carolus Martellus, terram Saxonum devaſtans, IVO CARNOT. *Chr. ap. Freberum Corp. hiſt. Franc.* Pipinus, victos munus annuum ad Comitia Regni promittere juſſit, ADELMUS *Ann. Franc. An. DCCXLIII. DCCLIII. ſeqq.* Donec tandem Carolus Magnus, victos ſaepius qvam domitos, imperio prius ſubjecit, qvam in ſocietatem adſumſit. Qvo facto, Thuringia Septentrionalis, cum Auſtrali, ſub uno imperio conjuncta, Francicum dein Sceptrum perpetuo eſt venerata. EGINHARDUS *p. 450. ap. Freber.* POETA ANONYM. *de vita Caroli M. A. DCCCIII.* IVO CARNOT. *Chron. ap. Freber. p. 53.* ADELMI *Ann. Regn. Franc. ap. eund.* A. DCCCIII.

§. III.

Regni Thuringici fines, accurate deſcribit SCHURZFLEISCHIUS, *Diſſ. XVII.* & SAGITTARIUS *Antiq. Regn. Thur. L. II. C. XIII.* minus vero recte WINCKELMANNUS, *Diſſertatione de Origine Thuringorum, & Chron. Haſſ. p. 590.* in Belgium transfert, refutatus ideo a TENTZELIO, Monatl. Unterred. *1694. Menſ. Jun.* Coeterum Thurin-

ringiae, inter Francos & Saxones, diviſionem accurate notat CHRON. QUEDLINBURG. Sec. XI. exaratum, ap. LEIBNITIUM *Script. Brunſv. Tom. II. p. 274.* hiſce verbis: *Theodericus Saxones, in ſuum convocavit auxilium, promittens eis juramento, ſi Thuringos vincerent, omnem illis terram eorum daturum, usqve ad confluentiam Salae & Unſtrutae fluviorum &c. Tunc Theodericus, accepto conſilio, victoribus Saxonibus tradidit omnem terram Thüringorum, excepta qvam Louvia & Haertz ſylvae concludunt, absqve tributo perpetuo poſſidendam.* Louviae hujus ſylvae, etiam meminit diploma, a Conrado II. Henrico III. Ludovico Barbato Comiti, datum, apud TENTZEL. *Suppl. hiſt. Goth. p. 392.* nec non *Acta Ezonis apud* PAPEBROCHIUM *Tom. V. Act. Sanct. Maj. C. III. n. 20.* Explicationem vocis tradit LEIBNITIUS. *Introd. in Tom. II. Script. Brunſ. p. 26.* Celebrata autem fuit adeo Seculis mediis, Thuringiae in Septentrionalem & Auſtralem, ſeu Cis & Transunſtrutanam, ſeu Saxonicam & Francicam, diviſio, ut ea tam DITMARUS *L. IV. p. 42.* qvam diplomata horum temporum utantur: Vid. Diplomata fundationis Archiepiſcopatus Magdeburg. adducta a SAGITTARIO *Antiq. Magdeb.* & *Epiſtolam* ejusdem *de Antiqvo Statu Thur. p. 28.* LEUBER. *diſqviſ. Stap. Sax.* MEIBOM. *in fine Ann. Witechind.* An vero Thuringiae Septentrionalis nomen, Sec. XI. & XII. in Magdeburgicis, Anhaltinis, Halberſtadienſibus terris, adhuc fuerit uſitatum, de eo dubitat HERM. CONRINGIUS *De Antiq. Statu Helmſt. p. 80.* nec eas ultra ſeculum decimum, hoc nomine venire ſtatuit, qvamvis in reliqvis cis Unſtrutam (loqvor cum Conringio Helmſtadii ſcribente) terris, ſuperfuiſſe ſeculis poſterioribus, concedat. Aliter ſentit ex diplomatum & ſcriptorum autoritate SAGITTARIUS *Antiqv. Magdeb. §. VII.* Idem probat Privilegium ſeu Donatio

Digitized by Google

Epiſcopatui Halberſtadienſi, ab Imperatore Henrico III. data, qvam exhibet CHRON. ECCL. HALBERSTAD. Sec. XII. exaratum, apud LEIBN. *T. II. Scr. Brunſ. p. 124.* in qvo Nordthuringiae expreſſis verbis mentio fit: *Henricus Imperator Italia in pace diſpoſita in Saxoniam rediit, in cujus oculis Sanctus Burchardus Epiſcopus, dum multam gratiam & favorem inveniſſet, ad ejus petionem Imperator Eccleſiae Beati Stephani dedit Comitiam in Nordthuringen, & in pago Derlingen, cum omni determinatione ſua &c. hancqve donationem ſuo privilegio communivit. Eadem lege idem Imperator pro dilectione Domini Burchardi, Comitatus iſtos in pagis Hardengowe, Derlingowe, partemqve Nordthuringen & Belchisheim Halberſtadienſi Eccleſiae in perpetuum dedit poſſidendos.* Qvicqvid ſit, meo jndicio recte eos facere cenſeo, qvi pagum Northuringiae, tanqvam partem a Septentrionali Thuringia ſeparant, qvod pluribus probat KNAUTIUS *Antiq. Pag. & Comit. Principatus Anhaltini, p. 2.* vid. & PAULLINUM *de Pagis p. 157.* Sed minus placent ea, qvae Brotuffius & Albinus, aliiqve de Nordringenſi Comitatu proferunt, cum Northuringenſis pagus in plures fuerit diviſus Comitatus, vid. *Knautium cit. l.* qvi erroris hujus originem pluribus indicat.

§. IV.

Coeterum, Saxones Thuringiam ſuam ad Caroli M. tempora ſuo modo gubernaſſe, certum eſt, qvorum regimen deſcribit H. CONRING. *diſſ. de Ducibus & Comit. Imp. Germ.* Mutato vero Imperio, & regendi modus Thuringiae Borealis devictae mutatus, & ad Francorum rationes plane compoſitus eſt. Certum enim eſt, Comitum imperium,

Digitized by Google

um, una cum Saxonia, per aliqvot tempus fuiſſe expertam, tam eo tempore, qvando a Carolo M. Saxonia Romanorum more in provinciam redacta, vid. *Capitul. de A. DCCLXXXIX. ap.* BALUZ: *p. 247.* & Trutmanno Comiti, qvi primus Palatinus Comes in Saxonia conſtitutus videtur, vid. *Capitul. Caroli M. pro partibus Saxoniae A. DCCLXXXIX. ap.* BALUZ. & SCHILT. *de Simult. inveſtit.* §. 2. ſubdita, qvam etiam, poſtqvam A. DCCCII. in ſocietatem Francorum, ea tamen conditione ad ſumta, ut ſub judicibus, (qvi Comites) qvos Rex praeficeret, Legatisqve, (qvi Miſſi) legibus ſuis uteretur. Vid. POETA *Anon. Sax. in vita Caroli M. A. DCCCII.* Eadem etiam ratione, Comitum imperium agnovit Thuringia Auſtralis, qvae Ducibus huc usqve ſub auſpicio Regum Franciæ vid. SAGITTAR. *Antiq. Ducat. Thur.* in pagos tamen & Comitatus diviſa paruerat, poſtqvam Carolus M., Ducum poteſtate abrogata, Comitibus provincias regendas diſtribuerat. Vid. CONRING. *Excerc. Acad. IV.* §. 19. Qvo tempore Comites Thuringiae Palatinos coepiſſe videtur, idqve ſapienti Caroli M. conſilio factum, ut unius Palatini Comitis potentiam metuens, inter plures dignitatem divideret, qvi pro numero Provinciarum, qvae Francico Imperio ſubjacebant, apud Regem populi ſui commoda promoverent juraqve tuerentur. Certe plures tum temporis pro numero provinciarum Comites Palatinos fuiſſe, non dubitare ſinit, qvod MABILLONIUS exhibet de *Re Dipl. L. II. c. 12. §. 14.* & CONRING. *Cenſ. Dipl. Lindav. p. 127.* nec non *L. III. Capit. Franc. c. 77. de Epiſc. Comit. & potentioribus qvi cauſam inter ſe habuerint:* Verbis: *Neqve ullus Comes Palatii &c.* Miſſos etiam Comites Palatinos in provincias ad juſtitiam faciendam, vid. LEHM. *Chr. Spir. p. 71.* Unde & Bavaricos, Burgun-

Digitized by Google

gundicos, Lotharingicos &c. Comites Palatinos legimus. Neuſtriam ſuum Palatinum habuiſſe, allegat LEIBNIT. *Tom. I. Scr. Brunſv. p. 314.* Hinc eſt, qvare nullam dubitandi rationem video, qvare non Thuringia ſuum etiam habuerit Comitem Palatinum, cum Provincia & populus fuerit ſingularis, ſuasqve ſemper, a reliqvis ſeparatas habuerit rationes. Indicant id praeterea inſignia Palatinatus Thuringici, qvae Sereniſſima Domus Saxonica, adhuc in inſignibus gerit, a Palatinis Saxonicis plane diverſa. Tantum vero abeſt, ut Palatinatum noſtrum Thuringicum pro Univerſali Imperii habeamus, qvales Palatinatus Rhenanus, vid. Orationem COCCEJI *de Lege Salica p. 41.* & Saxonicus, vid. WERNHER. *diſſ. II. de Vicariatu §. XXI.* ut potius Particularem credamus, Solius Thuringiae, & qvidem utriusqve finibus incluſum. Nihilominus tamen illuſtrem ſatis fuiſſe certum eſt ejus dignitatem, imo Provinciae Ducis, longe auguſtiorem, cum vice Regis in Senatu provinciae praeſideret, nec Duci ſine autoritate ejus aliqvid ſtatuere liceret, imo ſi ſententia ejus diſpliceret, eam pro lubitu vel mutandi, vel ad Regem perferendi haberet poteſtatem. vid. AVENTINUS *L. IV. Ann. Boj. p. 296.* Unde & ANN. GOZEC. praeſides Palatii, Regalium Decretalium maximi Principes, ipſaqve officia, Monarchiae Palatii dicuntur. Atqve hinc eſt, cur extra dubium poſitum ſit, Palatinum noſtrum, uti in provincia ſuperior fuit Duce, ita & extra illam, in Comitiis ante illum locum habuiſſe, & ſuffragia dixiſſe. Coeterum, non errare eos crediderim, qvi Alſtedum, Palatium, Palatinatus hujus initiis aſſignant, cum in Thuringia poſitum ſit, qvamvis in ſecutis temporibus ad Saxonicum pervenerit, in qvam ſententiam inclinaſſe videtur ALBINUS *Chr. Miſn. p. 228.* Es könnten

viel.

Digitized by Google

vielleicht beyde Pfaltzen auff Alſtet / &c. Deniqve vero videtur ſimile, Palatinatum hunc, ut reliqvos, in Provinciis ſenſim deſiiſſe, duobus illis, Rhenano & Saxonico ſuperſtitibus, qvod occaſione Palatinatus Saxonici in Landgravios Thuringiae tranſlati, factum judico. Verum ſi ipſam Palatinorum Thuringiae ſucceſſionem ſpectamus, eam iisdem tenebris involutam, deprehendimus. Allegat qvidem GOLDASTUS *Conſt. Imp. p. 938.* Henrici Aucupis Statuta & Privilegia Torneamentorum, in qvibus inter eos, qvi ſubſcripſerunt, legitur: *Joannes Palatinus Thuringiae, Fridericus Burggravius Magdeb. Reinerus Comes Provincialis Thuringiae.* Sed neminem rerum Germanicarum vel leviter gnarum judico, qvi de literarum harum veritate non primo intuitu dubitet. Verum ut redeamus, unde digreſſi ſumus, nec haec, ut antea monuimus, per ſolos Comites regendi ratio, in utraqve Thuringia fuit diuturna, Ducum enim poteſtas & dignitas reſtituta, Slavorum & reliqvorum Barbarorum incurſionibus ita expoſcentibus, ut unus praeeſſet, cujus imperio, tam Comites, qvam iis ſubjecti, parerent, limitesqve ab externis armis illaeſos, conſervarent. Factum inde eſt, ut Thuringis qvinqve in ordine Duces, Sorabici ſimul limitis cuſtodes, Tachulfus, Rathulfus, ANN. FULD. Poppo, Conradus & Burchardus vid. REGINO *p. 68. Tom. I. Scrip. Piſt.* ſub auſpiciis tamen regiis, praeficerentur, qvi Provinciam ad Sec. XI. initia, vicaria poteſtate adminiſtrarunt. An vero & iisdem Ducibus, Thuringia Borealis ſubjecta fuerit, affirmare non auſim. Verior eſt ſententia, qvi Ducibus Saxoniae, Henrici Aucupis majoribus, qvibus Ducatus Saxoniae, poſt Caroli M. tempora, & Witekindi Ducis (qvem Saxoniae cum Ducis poteſtate non praefuiſſe, vid. SCHILT. *ad Jus feud. Alem.*

Digitized by Google

p. 260.) fata, ab Imperatoribus commiſſus erat, in pagos, & hos iterum, vel in unum, vel plures Comitatus diviſos, diſtributam, non tamen proprio jure paruiſſe ſtatuunt. CONRING. *de Antiq. Statu Helmſt. p. 8.*

§. V.

INcidunt nunc tempora, qvibus, deficiens in dies Francorum Regum potentia & autoritas, nec non Barbarorum in Germaniam, cumprimis ſub Ludovico IV. Ungarorum irruptio, ut Germaniae univerſae, ita & Thuringiae faciem inſigniter mutavit. Non enim, Burchardo ultimo Duce ab Ungaris in proelio occiſo, Ducum amplius in Auſtrali Thuringia mentio fit, qvamvis ſuſpicandi ratio ſit, ſub Conrado I. vel Comites, vel Praefectos alios, ſub Miſſorum tamen, more apud Francos uſitato, inſpectione, Regio jure praefuiſſe. Certe ejusmodi qvid indicare videtur DITMARUS *L. I.* qvando apertis inſidiis, qvas Conradi juſſu, Hatto Archi-Epiſcopus Moguntinus ſtruxerat Henrico Saxoniae Duci, cujus potentiam metuebat, refert: Henricum injuriam ulturum, *qvicqvid ad Epiſcopum in Saxonia vel Thuringia pertinuit, totum ſibi praecepiſſe occupari*, AMICOS ETIAM REGIS *partibus ex his, omnino depraedatos expuliſſe.* Nec dubito, qvin Burchardus & Bardo, qvorum alter gener Conradi Imperatoris fuit, ejusmodi Praefecti, vel ſecundum Ditmarum, Amici Regis fuerint, qvos Autor Vitae Mathildis, Henrici S. juſſu conſcriptae, ap. LEIBNIT. *Tom. I. Scrip. Brunſv.* ab Henrico tantum afflictos memorat, ut terra in Thuringia cederent. Factum hoc eſſe videtur An. DCCCCXII. teſtimonio WITECHINDI *Lib. I.* qvi poſt non ita multos dies Hattonem confectum morbo, & mortuum

Digitized by Google

tuum eſſe, refert. Hattonis vero obitum An. DCCCCXII. tradit REGINO.

§. VI.

Qvicqvid ſit, Thuringiam Francicam ſeu Auſtralem, ab Henrico Saxoniae Duce, ejectis praefectis Regis, una cum Saxonia tota & Septentrionali Thuringia, hocce tempore occupatam, & proprio Jure poſſideri coeptam, certum eſt. Occaſionem in poſſeſſione ſe confirmandi Henrico dedit, brevi poſt repetita irruptio Ungarorum, de qva LUITPRANDUS expreſſe refert: *Nonnullos Ducum Hungariae non ſolum pugnam non intuliſſe, ſed ut proximi caderent, anhelaſſe, ut dum proximi caderent, ſoli ipſi liberius regnarent.* Tandem, qvod huc usqve gladii ſive occupantium jure tenuerat Henricus, nunc etiam juſtiore titulo, permittente Conrado Rege, tenere cœpit, compoſito An. DCCCCXIV. bello, qvod conjunctis cum reliqvis Regni ducibus, viribus, pro libertate cum Conrado geſſerat. Certe WITECHINDUS id indicare videtur, qvando *Henricum primum libera poteſtate regnaſſe* tradit, qvod an alio tempore & ratione factum fuerit, non video. Movebat enim Conradum, ut de jure ſuo aliqvid remitteret, & qvod prohibere non poterat, concederet, Saxonum reſiſtentium fortitudo, qvam frater Eberhardus cum exercitu adverſus eos miſſus, clade ad Heresburgum accepta, expertus erat, vid. WITECHINDUS *L. I.* & qvod notante GOBELINO PERSON. non armis ad pacem ineundam fuerat coactus. Ita enim ait: *Cunradus tamen reſiſtebat eis, unde Ducem Bavariae expulit. Sic & ceteros ſuperavit praeter Henricum Ducem Saxoniae.* De eo itaqve intelligo, qvod

LUITPRANDUS tradit, qvando ſapientiae vigore ad fidelitatem reductos nonnullos ex Principibus memorat: *Secundo itaqve regni hujus ſuſceptionis anno memorati Principes huic, praeſertim Henricus, rebelles exſtiterunt, qvos Conradus Rex tam ſapientiae vigore qvam fortitudinis robore ſuperavit, ſuamqve ad fidelitatem perduxit.* Et fortunam Saxonis atqve potentiam ipſe accuſat Conradus, morti vicinus, apud WITECH. l.c. *Fortuna, Frater, Henrico cedit, rerum publicarum penes Saxones ſumma eſt.* Atqve hinc eſt unde initium videtur deſumendum Ducatus Thuringorum, utraqve nunc Thuringia ſub uno Duce conjuncta, ad Saxones translati. Nunqvam enim pater Otto, licet multis & magnis in Thuringia Boreali poſſeſſionibus gauderet, ut nurui etiam Mathildi, Walchuſen oppidum ad Helmum fluvium, non procul ab Harticis montibus, cum illis, qvae ad civitatem illam attinebant in dotem daret, VITA. B. MATHILDIS *cit. loc.* ſuo jure, ſed Regum vicaria poteſtate, uti Saxoniae ita & Thuringiae Septentrionali praefuit, nunqvam Thuringiae Ducis titulo inſignitus. Nec obſtant verba WITECHINDI cit. loc. *penes Ottonem ſemper & ubiqve ſummum viguiſſe imperium*, qvod ita intelligo: Ottonem in ſignum gratae mentis, ob regnum ſibi relictum, praecipuo apud Conradum loco fuiſſe, Regemqve in adminiſtranda republica opera ejus ante alios fuiſſe uſum. Imo liberum ſemper fuit Regibus, Ducatus adminiſtrationem mortuo Duce, praeteritis filiis, ad alium transferre. Indicat id ſatis WITECHINDUS *L. I.* qvando Conradum, mortuo Ottone Duce, *veritum fuiſſe omnem patris poteſtatem filio Henrico tradere*, refert, & paullo poſt: *qvo factum eſt ut indignationem incurreret* (ſc. Conradus) *Exercitus Saxonici. Ficte tamen pro laude & gloria optimi Ducis plura loqvutus promiſit ſe majora ſibi*

bi

Digitized by Google

bi daturum, & honore magno glorificaturum. Saxones vero hujuſcemodi ſimulationibus non attendebant, ſed ſuadebant Duci ſuo, ut ſi honore paterno eum nollet ſponte honorare, rege invito qvae vellet obtinere poſſet. Donec tandem Henrico eadem ratione, ſcilicet vicaria poteſtate, ac olim Ottoni, Ducatus Saxoniae cum Thuringia Boreali a Conrado Rege permiſſus eſt, teſte DITMARO; *Maximam beneficii partem gratuito Regis ſuſcepit ex munere*, qvem tamen brevi, vel poſt paucos dies, ob inſidias a Rege ſtructas, ut ſupra indicavimus, occupavit, & cum Thuringia Auſtrali, proprio jure tenere coepit. Primus itaqve eſt Henricus, qvi libera poteſtate, uti in Saxonia, ita & Thuringia univerſa, Boreali cum Auſtrali conjuncta, imperavit, & qvem ſub Thuringorum Ducis nomine Scriptores celebrant. Certe LUITPRANDUS eum ſub Conrado I. Saxonum & Thuringorum Ducem praepotentem nominat: *Sub Conrado Potentiſſimi Principes, Arnoldus in Bajoaria, Burchardus in Suevia, Eberardus Comes Potentiſſimus in Francia, Giſelbertus Dux in Lotharingia, qvos inter* HENRICUS SAXONUM ET THURINGORUM DUX *praepotens clarebat.* Et *L. II. C. VII.* ita loqvitur: *Henricum* SAXONUM ET THURINGORUM DUCEM *prudentiſſimum, Regem eligite, Dominum conſtituite.* Eum ſeqvitur SIGEB. GEMBL. An. DCCCCXIV. qvi Henricum DUCEM DE SAXONIA ET THURINGIA vocat. Idem facit ALBERTUS STAD. *p. 258. Collect. Schilt.* & ABBAS VRSPERGENSIS *p. m. 144. & 150.* Rejicimus itaqve errorem *Auctoris de Landgr. Thuringiae, ap. Piſtorium Cap. VIII.* qvi ſtatim poſt Burchardum Ducem Anno DCCCCIX. occiſum, Ducatum Thuringiae ad Henricum Ducem Saxoniae, *tunc Imperatorem*, contra temporis ſeriem & ſcriptorum fidem, devolutum memorat,

qvamvis in eo cum eo conſentiamus, Henricum Thuringiae Ducatum poſſediſſe.

§. VII.

NEc majore fide eorum ſententia niti videtur, qvi Thuringiam pro Ducatus Saxonici acceſſione reputant, & cenſum a Thuringis, Ottonibus, non qva Imperatoribus, ſed qva Saxoniae Ducibus ſolutum, referunt, in qvo cum SPANGENBERGIO *Chron. Mansfeld. p. 160.* conſentire videtur *Autor defenſ. Sax. in cauſa Erfurt. p. 8.* Verum cenſum hunc non Saxonibus, ſed Regibus Germaniae ſolutum fuiſſe, probabimus infra §. XI. ab iisqve, Thuringis Auſtralibus remiſſum, DITMARI autoritas *L. V.* probat. Praeterea etiam qvid opus fuiſſet, ut a Luitprando & Sigeberto, aliisqve, Thuringiae & Saxoniae Ducatus mentio ſeparata fieret, ſi ſub uno Ducatu utraqve gens complexa fuiſſet. Ut taceam, in electione Germaniae Regum, Thuringorum, tanqvam diverſi populi, a Saxonibus ſeparatas prorſus rationes fuiſſe, qvod pluribus docet CONTINUATOR REGINONIS, *Henricum A. DCCCCXIX. Conſenſu Francorum, Alemannorum, Bavarorum,* THURINGORUM *& Saxonum electum*, referens. Qvod eligendi & ſuffragium in Comitiis dicendi jus, a Lothario cum Thuringia, proprio jure Ludovico III. tradita, translatum ſtatuimus cum LUDOV. *Germ. Princ. L. III, C. 2. p. 96.* idqve ex diplomate Donationis Visbeccenſis Monaſterii, a Ludovico, qvem Ferreum dicunt, Comite provinciali, exercitum fuiſſe, infra §. XXII. probabimus. Tandem etiam Thuringia diu ſub Francicorum Regum Imperio ſtetit, Saxoniae Ducatu, & reliqvis Saxoniae ditionibus, penes alios exiſtentibus. Imo ſub ſeparati

Digitized by Google

parati Ducatus nomine venit apud DITM. *L. IV.* qvando *totius populi conſenſu ad Eccardum I. Ducatum perveniſſe*, refert.

§. VIII.

DOlemus vero merito Scriptorum negligentiam, cumprimis eorum, qvi Thuringorum geſta retulerunt, a PISTORIO *Tom. I.* collectorum, in recenſendis illis, qvi tempore Henrici, & initiis Ottonis I. Germaniae Regum, ſub eorum auſpiciis, tanqvam Thuringiae Ducum, Thuringiae nunc conjunctae praefuerunt. Accedimus itaqve *Illuſtri Autori defenſ. Saxonicae in cauſa Erfurtenſi, Domino de* SECKENDORFF, *p. 8.* qvi abſentibus in Italia Imperatoribus, vel aliis Imperii negotiis impeditis, Concilium aliqvod provinciae ex egregiis & nobilibus, jam tum magno in Thuringia numero verſantibus familiis, cumprimis e Comitum genere, conſtitutum ſuſpicatur, ut paci publicae proſpiceret, eiqve jus fuiſſe caput eligendi, qvod in Eccardo Marchione factum DITMARUS refert. *L. V.* Forſan ejusdem generis fuerunt Dadanus & Wilhelmus, qvos WITECHINDUS *Lib. III.* poteſtatis praefectoriae e genere Thuringorum fuiſſe, ſcribit, & ab Ottone in Comitiis Fridislarienſibus, in ſatisfactionem injuriae a Moguntino Pontifice acceptae, Henrico fratri traditos exilioqve damnatos. Qvicqvid ſit, illud extra omnem controverſiam poſitum, Ottonem I. filio Gvilielmo univerſam Thuringiam non ſubjeciſſe, qvanqvam id aſſerere conetur *Autor Defenſionis Moguntinae in cauſa Erfurtenſi*, ſola fide Anonymi de Landgraviis Thuringiae, fabuloſi, nixus, refutatus tamen ſolide, ab *Autore defenſionis Saxonicae, &* SAGITTARIO, *Epiſtola de Antiqvo Statu Thur.*

§. IX.

Digitized by Google

§. IX.

QVanqvam vero Henrico,& Ottone(ſub initia Regni)imperantibus,Thuringorum Imperium incertum videatur,certi tamen magis ſumus,ſub finem ejusdemRegni ac filio & nepote Sceptrum tenentibus. Eo enim aevo Marchionum Thuringiae nomen primum audiri coepit,invaleſcente cumprimis eo tempore in Germania uſu,ut ad Barbarorum incurſiones prohibendas,Comites limitanei, ſeu praefecti limitanei,qvosMarchiones dicimus,cum poteſtate libera,exemplo Romanorum,qvorum magiſtratus ſoepius imitati Franci, non tamen alia, qvam vicaria,Provinciis praeficerentur. Qvamvis enim tum temporis in Germania Marchionum nomen freqventari coeperit, diu tamen, jam extra illam, cumprimis in Italia, eorum uſus fuit. Tempore Caroli M. Avarica, qvam pro Pannonico limite habemus in ANNAL. FULD. *A. 861.* & Orientali,apud CHRONOGR. SAXONEM, nec non poſterioribus temporibus Auſtriaca, Chaventana, Forojulienſis, Saxonica, contra Saxones Rheno incumbentes, EGINHARDUS *L. II.* Nordmannica, & Hiſpanica, de qva ſingulari tractatu erudite diſſeruit PETRUS DE MARCA, Marchiae fuerunt. vid. *Not.* MEIBOM. *in dipl. Thaſſilon. Tom. III. R. Germ.* Qvae tamen Marchiae limitum curam tantum continuerunt, a noſtris plane diverſae. Certe Slavorum finitimorum, nondum ſatis domitorum, freqventes irruptiones demandabant, ut Caeſares, regni negotiis impediti, ſaepiusqve in Italia occupati, Thuringiae, uti Saxoniae factum,proſpicerent. Exemplum praebebant Anteceſſores e Francica ſtirpe. Qvantam Sorabici limitis curam geſſerit

ſerit Dagobertus vid. AIMON. *L. IV. Cap. XXVII.* Ludovicus Germaniae Rex, Tachulſum Thuringiae Francicae Ducem ac Comitem Sorabici Limitis conſtituit, cui ſucceſſit Ratholfus. vid. SAGITT. *Antiq. Duc. Thur. p. 160.* Arnulphus, Popponem Thuringorum dein Ducem, teſtantibus ANNAL. FULD. An. DCCCLXXX. Comitem & Ducem Sorabici limitis, i.e. erga Sorabos, Thuringiae inter Salam & Eliſtrum finitimos & infeſtos praefecit, qvem Conradus & Burchardus exceperunt. Non itaqve ſine ratione ſuſpicandum, Comitatum illum Limitis Sorabici, ſeu caſtellum in Thuringia Auſtrali illis oppoſitum, qvod Schwarzburgum eſſe SAGITTARIO *p. 298. Ducat. Thur.* videtur, eo tempore, forſan adhuc aptum & validum ad Barbarorum licentiam reprimendam, erigendo Marchionatui Thuringico, ea ratione ac Landvogtia Soraborum Landesbergenſi, Pannonicus limes Orientali ſ. Auſtriaco, occaſionem dediſſe. Caſtelli limitanei ad Salam, qvi Sorabos a Thuringis ſeparavit, qvod in Thuringia ſeptentrionali, in pago Grimmerslevo ſitum, olim Budizio, dein Germanice Grimmerslevo dictum, cui Sec. IX. Rath Comes praefuit, mentionem facit diploma Ottonis II. DCCCCLXXIIX. ap. KNAUT *Antiq. Anhalt. p. 24.* Unde & in Boreali Thuringia limitum curam habitam ab Imperatoribus, patet.

§. X.

MArchionatus itaqve Thuringici limites deſignaturi, illos ex totius Ducatus, ſ. Francicae & Saxonicae Thuringiae, finibus metimur. Excipimus vero terram Orientalem, ſeparato a Thuringis imperio, ſubjectam, qvae Auſtralis Thuringiae pars olim fuit, & Bernburgenſem Mar-

Digitized by Google

chionatum, Lothario III. e Comitibus Walbeccenſibus, exſtructo Caſtello Bernburg, teſte DITM. *L. IV.* & dein filio Wirinharo commiſſum. Nec non Burggravii in Magdeburgenſi civitate poteſtatem, qvam Otto, erecto Archi-Epiſcopatu, tanqvam Imperator conſtituerat, banno Regio commiſſo. Qvemadmodum enim Arnulphus & Ludovicus Imperatores, Thuringiae Auſtralis limitum defenſioni tantum, contra Slavos Orientales & Meridionales intenti fuerunt, Boreali Saxonum Ducis proviſioni relicta, ita Otto I. totius nunc Thuringiae Dux, ad Slavos etiam Septentrionales reprimendos, animum advertere neceſſe habuit, qvorum crebras incurſiones memorant ſcriptores, & Wilhelmi Marchionis A. MLVI. caedes comprobat. Imo ſeculo adhuc decimo & undecimo, Thuringiae in Borealem & Auſtralem diviſionem, tam diplomata qvam etiam ſcriptorum autoritas firmant, vid. §. III. Ipſe etiam DITMARUS poſtqvam *L. IV.* Thuringiae utriusqve mentionem fecit, dein, non ita multo poſt, Eccardum omnium Thuringorum conſenſu, Thuringiae Ducatum accepiſſe, memorat. Qvae clare demonſtrant, utriqve Thuringiae Marchiones praefuiſſe.

§. XI.

Fuit vero Marchionum Thuringiae vicaria poteſtas, ab Imperatoribus e Saxonica ſtirpe, tanqvam Thuringiae Ducibus mediate, a Francico vero ſtemmate, tanqvam Imperatoribus, immediate commiſſa, tam ad fines erga hoſtes defendendos, qvam etiam jus dicendum. Ex utroqve enim Marchionis officium metimur, vid. COCCEJ. *Jus publ. p. 261.* unde etiam Wilhelmus I. Marchio Thuringiae ANN. HIL-

Digitized by Google

HILDES. *ap. Leibnit. T. I. p. 767.* Praetor, vocabulo, de iis qvi jus dicunt, uſitato, dicitur. Primae itaqve ejus partes fuerunt in defendendis limitibus, & caſtris contra Slavorum incurſiones, in militum delectu inſtituendo, copiis contra hoſtes educendis, reditibus bonorum fiſcalium ab adminiſtratoribus, Ducis, & dein Sec. XI. Imperatoris nomine percipiendis, in negotiis arduis qvae Comites componere non poterant, Ducis nomine pronunciandi, vel ad Comitem Palatinum referendi, tuendi terras in utraqve regione Epiſcopis & Eccleſiis conceſſas, curam gerendi ne curtes Regiae detrimentum acciperent, qvas inter Mulhuſa & Nordhuſum, qvarum dein cura demandata cum Landgraviatu Ludovico Comiti, ac tandem proſpiciendi, ut officio ſuo rite incumberent Comites, Comitatibus nondum, cumprimis ſub initium eorum temporum, jure proprio poſſeſſis. Praeterea officii Marchionis Thuringici fuiſſe judico, cenſum a Thuringis ſolvi ſolitum accipere, Regiqve exhibere. Fuit vero hic cenſus duplex, alter in Francica Thuringia, alter in Saxonia ſ. Boreali uſitatus. Ille, a Theoderico Rege Francorum, victis, & a caede reliqvis Thuringis Auſtralibus, qvingentorum porcorum, ad culinam Regis, impoſitus, vid. CHRON. VETUS BRUNSV. *T. II. ap. Leibn. p. 15.* Verbis: *Ad coqvinam Regis in 500. porcorum tributo annuo a Rege Thiederico ipſis impoſito tenebantur. Iſtud tributum remiſſum eſt Thuringis, a Henrico Rege de Babenberch, ad preces & obſeqvia Venerabilis Domini Olrici de Wimar Principis Thuringorum,* & ANNAL. QVEDLINBURG. *p. 274.* vid. ſupra §. II. ab Henrico II. demum remiſſus. *vid.* DITMAR. *L. V.* Hic, a Saxonibus, cui partem ſuam ſine tributo tradiderant Franci, ANN. QVEDLINBURG. *cit. loc.* Thuringis Borealibus impoſitus, ita enim

Digitized by Google

WITICHINDUS *L. I. Saxones igitur poſſeſſa terra ſumma pace qvieverunt, ſocietate Francorum atqve amicitia uſi. Parte qvoqve agrorum cum amicis auxiliariis vel manumiſſis diſtributa, reliqvias pulſae gentis tributis condemnaverunt.* Qvem tamen, victis Saxonibus, & cum illis Borealibus Thuringis, a Carolo, ſolutum Francis fuiſſe, fere crediderim. Eo, an Henricus eos etiam liberaverit, ne pejore reliqvis uterentur conditione, nullus dubito, ſi modo eo tempore adhuc ſolvi ſolitus fuit. Nec minus ad dignitatem Marchionum pertinuiſſe videtur, electionibus Regum intereſſe, cumprimis, poſtqvam Saxonicae ſtirpis Imperatoribus deficientibus, a Francicis Regibus Thuringia immediate teneri coepit, populiqve nomine, tanqvam princeps ſuffragium dare. Ita Henrici IV. Anticaeſares, a foederatis contra eum Saxonibus & Thuringis electi, vid. LAMB. *A. 1078. ſeqq.* qvod qvin conſilio Egberti Saxoniae & Thuringiae Marchionis factum, extra dubium poſitum videtur. Ad reditus Marchionis qvod attinet, non dubito, qvin ad exemplum aliorum Regni officialium, ad dignitatem & familiam tuendam, certas terras, qvorum reditibus frueretur, acceperit. De Comitibus hoc confirmat LEHM. *Chr. Spir. L. II. Cap. 17.* daß ſie zu Erhaltung ihres Standes vom König und dem Reich ſonderbahre Güter zu nutzen gehabt. Eccardum I. etiam, hoc nomine, in Boreali Thuringia, Suevon pagum tenuiſſe, ſuſpicor, *vid. Antiq. Anhalt.* KNAUTII, poſt ejus mortem, ad Ballenſtadenſes Comites translatum. Nec minimam inter reditus partem conſtituit tertia pars poenarum. De Comitibus id teſtatur, *Capitulare Caroli M. A. 793. Lex Salica Tit. 52. §. II. Lex Bajuvariorum Tit. 2. Cap. 16.* wie hoch man einen Marggraffen wettet / Vid. SPEC. *Sax. L. III. Art. 65.* Fuit vero Marchionatus noſter nunqvam here-

re-

reditarius, libera electione teſte Ditmaro Eccardo permiſſus, eoqve caeſo, praeterito fratre Guncelino & filiis Hermanno & Eccardo II., Wilhelmo I. Orlamundano & Vinarenſi Comiti, ac poſt hujus fata, Ottoni cuidam, Imperatori Henrico IV. conſangvinitate juncto. Dein, Wilhelmo II. & Ottone II. Marchionibus deficientibus, ab Orlamundano ſtemmate in Saxonicum Marchionem Egbertum I. translatus eſt, qvi teſte LAMBERTO A. MLXVIII. *Marchiam vivens adhuc acqviſivit filio Egberto II.* hoc eſt, ſpem ſuccedendi ab Imperatore impetravit filio Egberto II. Poſt cujus immaturam caedem, Marchia, non cum aliis ejusdem terris hereditariis ad ſororem Gertrudim pervenit, ſed Hermannorum, e Winzenburgicorum Comitum Stemmate, imperio, Thuringia univerſa ſubjecta fuit. Qvae omnia ſatis ſuperqve demonſtrant, in libera ſemper, tam Ottonianae ſtirpis, qvam etiam qvi eam exceperunt Francicorum Imperatorum poteſtate fuiſſe, Marchionatus Thuringici dignitatem, qvibus vellent, conferendi.

§. XII.

Accedamus nunc, ad ipſam Marchionum Succeſſionem, in qva recenſenda, magnam ſcriptorum deprehendimus negligentiam. Apud illos, qvi Thuringorum res conſignarunt, apud *Piſtorium T. I.* altum eſt ſilentium. DITMARUS, pauca tradit, plura referunt LAMBERTUS, CHRONOGRAPHUS SAXO, & alii pauci. Recentiorum afferta, fabulis & conjecturis mixta. ALBINI, in *Catalogo March. Thuringiae*, fides non ſemper tuta. PFEFFERKORNIUS in *Chron. Thur.* Marchionum initia, ad Henricum Aucupem refert, ſed ſine autore. SAGITTARIUS,

in *Epiſtola de Antiqvo Thuringiae Statu*, qvatuor tantum Marchionum mentionem facit, cujus, in rebus Thuringorum explicandis, diligentia & accurata notitia, plura fuiſſet ſuppeditatura, ſi liber, qvem de Antiqvitatibus Marchionatus, promiſit, lucem adſpexiſſet. Rejicimus vero, Dangmarum, filium Henrici Auc., qvem PFEFFERKORNIUS nominat, *cit.Chr.* cum fata ejus referens WITECHINDUS *L.II.* ejus in Thuringia poteſtatem taceat, & contrarium plura ejusdem loca evincant. Primas potius partes concedimus, cum Albino, in Marchionatu Thuringico, GUNTHERO, Eccardi I., Marchionis Miſniae patri, qvem hoc nomine inſignit CHRON. MONTIS SERENI A. MCLXXI. verbis: *Mortuo Dithmaro Swanebildis ejus relicta nupſit Ekkehardo Marchioni*, *filio* GUNTHARII MARCHIONIS DE THURINGIA. Certe DITMARUS *L.VII.* Marchionem eum vocat, qvod, cum de Miſnenſi, qvam non tenuiſſe certum, intelligi neqveat, ad Thuringicam referimus. De eo etiam intelligimus, qvod CRANTZIUS *L.III. Sax. p.269.* refert: *Ottonem cum Hermanno Saxoniam committeret, Thuringiam ſibi ſervaſſe ac aliis commendaſſe.* Marchio Orientalis dicitur AUTORI CHRON. BRUNSV. & LUNEB. ap. LEIBN. *T.II. p.15.* cujus tamen fides dubia videri poſſet, cum Ekardum nominet, & patrem nihilominus faciat Eckardi, ad Poledum occiſi. Interea non ſine ratione affirmare velim, Guntherum in Orientali terra potentem fuiſſe, cum DITMARUS *L.IV.* filium ejus Eckardum, ex Nobiliſſimis Thuringiae Auſtralis natalibus ortum duxiſſe ſcribat, Orientalem vero terram Thuringiae Auſtralis partem, (ſumpto tamen vocabulo in latiore ſignificatu, & ex noſtrae diviſionis ſenſu) affirment ſcriptores, imo & Thuringiam Orientalem ſaepius dicant. Factum inde mihi

I. GUNTHERUS *Marchio Thuringiae*

Digitized by Google

mihi etiam videtur, ut Pliſnenſis Comes vulgo audiat Guntherus noſter, cum Pliſnenſis terra, Orientali, qvam Oſterlandiam vocant, annumeretur, vid. RECHENB. *Diſſ. de Oſterlandia.* §. *XI.* Fata ejus deſcribit DITM. *l. c.* qvando de Eccardo filio refert: *Is poſt multas bellorum aſperitates qvas cum patre ſuo Gunthero, ab honore ſuo diu ſuſpenſo, perpeſſus eſt ad gratiam II. Ottonis Imperatoris, &c.* Unde Marchionatu eum ejectum, ac in exilio mortuum, judicamus, qvod qva occaſione factum, in eo ſcriptorum autoritatem deeſſe, cum SAGITTARIO *Diſſ. de Eccardo I.* conqverimur. Coeterum ALBINUS *p. 117.* non ſibi ſatis conſtat, in aſſerendo Marchionatu noſtro, Gunthero, qvando in vita Eckardi filii, ita loqvitur: **Wiewohl die Hiſtorien ſonſt bezeügen/ daß Eckard allererſt daſſelbe Ort Landes und Titel/ oder wie etliche reden/ die Herrſchafft über daſſelbe gantze Land/ mit ſeiner Tugend erworben/** qvod concedimus, ſi patrem honore omni privatum, & Marchiam non haereditariam ſpectamus, qvamobrem, ut haec dignitas ad eum, ex principis & populi electione, deferretur, neceſſe fuit.

§. XIII.

Secundus inter Thuringiae Marchiones, eſt ECCARDUS I. Miſniae & Orientalis etiam Marchio, ita enim eum nominat *Autor* CHRONICI DUCUM BRUNSV. *c. l.* Marchionatum ejus in Thuringia, probat ſcriptor coaevus ADELBOLDUS, *Epiſcopus Trajectenſis, in vita Henrici S. Imperatoris*, Sec. XI. conſcripta, apud LEIBN. *Tom. I. p. 432.* *Tunc temporis poſt Henricum Ducem magnificum majores erant in Regno, Benno, Dux in Saxonia, Herimannus, Dux in Alemannia, Theodericus, in Lotarienſi regno,* ECKEHARDUS MARCHIO

II. ECCARDUS *Marchio Thuringiae*

CHIO IN THURINGIA. Conſentit DITMARUS *L. V. Eccardus ſuper omnem Thuringiam communi totius populi electione Ducatum promeruit;* qvod de poteſtate poſt Ducem proxima, & vicaria Ottonis Imperatoris, juſti Thuringiae Ducis, in Ducatu Thuringiae, intelligo, cum nunqvam Dux, ſed ſemper Marchio, DITMARO aliisqve dicatur. De ducis enim militaris poteſtate, interpretari cum SAGITTARIO *diſſ. de Eccardo I.*, ADELBOLDI autoris coaevi, & Henrico II. familiaris, adducta verba prohibent. Nec novum eſt ſcriptoribus horum temporum, ſub variis nominibus, eandem dignitatem deſignare. Ita idem Eccardus in diplomate Ottonis III. An. DCCCCXCIII. dato apud SAGITT. *diſſ. de Eccardo I. Sect. XIII.* expreſſis verbis Comes dicitur: *In Comitatu Ekkihardi Comitis in Thuringia*: & ſucceſſores ejus, Wilhelmi, aliis Marchiones, aliis Praetores, aliis Principes appellantur, vid ANN. HILDES. ap. LEIBN. *Tom. I. p. 767.* Extra omnem dubitationem vero poſitum videtur, Ottonem III. Eccardum noſtrum hacce dignitate donaſſe, motum, tam potentia ejus intra & extra Thuringiam, qvam cognationibus, ex parte uxoris & generi Wirinhari, Bernburgenſis Marchionis, e clara Thuringiae ſeptentrionalis proſapia editi, DITM. *L. IV.* ita tamen, ut conſenſus ordinum accederet, expoſcente ita rerum ſtatu, & Reipublicae emolumento, ne populo praeficeretur Marchio, cujus imperium improbaret. Verum enim vero, qvod ſupra ex CHRONICI BRUNSV. fide retulimus, eum Marchionem Orientalem dici, id, ſi verum eſt, de Terra Orientali accipimus, moti, qvod Chriſtiani Marchionis Luſatiae progenies, Luſaticam Marchiam, qvae vulgo Orientalis dicitur, adhuc teneret, & hanc non minus, qvam illam, Orientalis Marchiæ nomine venire, di-

Digitized by Google

diplomatum uſus firmet, vid. SAGITTAR. *Diſſert. de Luſat.* §. *XVII.* Ita Theodericus Junior, Alberti Landgravii Thuringiae, qvem Degenerem vocant, filius, in Dipl. de A. MCCII. XI. Kl. Aug. dicitur: *Theodericus Dei gratia Junior Thuring. Lantgr. Orientalis & Luſſacie Marchio*, apud eundem, in *Hiſt. Gothana, p. 107.* Et in alio dato MCCCLXXVI. in Craſtino B. Bonifacii, Fridericus, Balthaſar, & Wilhelmus, fratres, dicuntur: *Thuringiae Landgravii, Miſn. & Orientales, in Landsperg, & Luſatiae Marchiones.* Nec dubium moveat, duas Marchias eodem nomine inſigniri, adeſt adhuc tertia, Auſtriaca, qvam Orientalem ſaepiſſime dicunt, CHRONOGR. SAXO, & ALBERICUS apud LEIBNIT. *Acc. Hiſt.* ut & ABB. URSPERGENS. *pag. m. 211.* Qvemadmodum enim prima, ſi reliqvam Thuringiam ſpectemus, Orientalis, ita ſecunda Bohemiam, tertia Ungariam verſus, ad Orientem ſolem poſita fuit. Eadem etiam ratione, Marchia Brandenburgenſis ſeptentrionalis dicta, citatis Autoribus, qvoniam ſeptentrionem verſus poſita eſt. Uſitatiſſimum enim fuit Seculis mediis, a regionum ſitu verſus coeli regiones, nomina terris, ac per conſeqvens tam principibus earum, qvam Comitatibus & Comitibus, in iisdem, dare. Ita Merſeburgenſes Comites & Pliſſnenſis Terrae Dominos, Comites Orientales dictos, ALBINUS *Chr. Miſn. p. 112.* memorat, & Theodericus Conradi M. Miſniae Marchionis avus, Comes Orientalium dicitur, ANN. HILDES. *T. I. Scr. Brunſ.* A. MLVI. omiſſo ipſius Comitatus cognomine. An vero Eccardus, Marchiam hanc Thuringicam, Miſnicam, & ſi Anonymo, ut ſupra monuimus, fides habenda, Orientalem, jure ad heredes tranſmittendo, tenere coeperit, verba DITMARI: *qvod maximam beneficii partem in proprietatem acqviſiverit ab Ottone III.* ſuſpicandi occaſionem

Digitized by Google

nem praebere videntur. Ego, qvin factum fuerit nullus dubito, ſi mentem a rebus novis alienam tenuiſſet. Contrarium enim docet, Wilhelmi Marchionis Succeſſio, & dignitatem cum perſona exſpiraſſe, probat. Nihil certe deeſſe videbatur fortunae Eccardi, in tribus Marchiis potentiſſimi, inter praecipuos ſemper Ottoni III. habiti, DITM. *L. IV.* & fata meliora merebantur, res cum Imperatore in Romania, erga Milzienos Slavos, ac Boleslaum Bojoemiae Ducem, ad Reipublicae emolumentum fortiter geſtae, DITMAR. *loc. cit.* Verum ambitio, & rerum novarum cupido, principum Imperii invidiam adferebant, unde ad Polethum, eodem, qvo Otto III. Anno MII. 2. Cal. Maj. a Sigfrido, Sigfridi Northeimii Comitis filio, vel de Bommenburch, ſecundum CHRON. VETUS BRUNSV. ap. LEIBNIT. *cit.* & Thiederico de Katelingeborch, cum ſociis, nocturna tempeſtate eſt occiſus. Qvae cauſa illatae a Sigfrido caedis, diſſimulare videtur DITMARUS, partim injuriae Henrico criminis ſocio illatae, partim contumeliae *in Werlu ſororibus* illatae, tribuens. Sententiam vero tandem clarius exponere videtur, verbis: *Hoc tantum ſcio, qvod Decus Regni, ſolatium patriae, ſpes commiſſis, terror inimicis, ac per omnia perfectiſſimus foret, ſi in humilitate perſiſtere voluiſſet.* Conſentit cum eo ADELBOLDUS *in vita Henrici S. p. 433. Ekbardum autem neſcio, an in adipiſcendo Regno ſpem tenens, an rebellionem meditans in Regia curte, qvae Polda dicitur, per noctem ab inimicis ſuis aggreditur viriliter pugnans interficitur;* Conf. CHRONOGRAPHUM SAX. *in Acceſſ. hiſtor.* LEIBNIT. An. MII. & SAGITTARII *hiſt. Eccardi I.*

§. XIV.

Digitized by Google

§. XIV.

Eccardi hujus, ut & filii, cum Ecberto, Saxonum Marchione, tempore inferiore, ut & Eccardo, Ottonis Sueviae & Bav. Ducis filio, confuſionem a BROTUFFIO CHR. MERSEBURG. commiſſam, notat recte ALBINUS *Chr. Miſn. p. 107.* addimus & a CRANTZIO *in Saxon. L. II.* Et HOPPENRODIO *Ann. Gernrod.* Non vero capio, qva ratione ALBINUS, Gregorium V. Papam, Eccardi Marchionis Saxoniae fratrem, Ottonis Suev. & Bav. Ducis filium nominet, *pag. 117. Chr. Miſn.* cum tamen eum genus e Francica ſtirpe ducere, ANNALES SAXONICI, ab *Illuſtr.* LEIBNITZ. *T. II. R. Brunſv. p. 570.* adducti, demonſtrent. Minus etiam recte ſtatuit PFEFFERKORNIUS, qvando Vinarienſes & Orlamundanos Comites Ottonis III. tempore, Auſtralis Thuringiae Duces vel Marchiones facit, *p. 133. 137.* Nos Comites illos Vinariam & Orlamundam, ut alios ejusdem ſeculi, ſub Eccardi imperio tenuiſſe, ſine tamen Marchionis in illa Thuringiae parte dignitate, judicamus, teſte ſcriptore hujus ſeculi graviſſimo DITMARO *L. IV.* qvi Eccardum *totius populi electione ſuper Thuringiam Ducatum promeruiſſe* ſcribit. Qvae manifeſto demonſtrant, eum Thuringiae omni imperaſſe, qvamvis Wilhelmum, qvem Vinarienſem nominant poſt Eccardi fata, in Thuringiae Marchionatu univerſo ſucceſſiſſe, § ſeqventi ſimus demonſtraturi. Hocce etiam aevo, ſub Eccardo nimirum noſtro, Thuringiae ſeptentrionalis pars, caſtrum ſcilicet Bernburgum, in pago Grimmersleve ſitum, ab Ottone III. qvi illud contra Slavos exſtruxerat, A. circiter DCCCCXCVI. cum dignitate Marchionis ad Lotharium III., e Comitibus

Walbeccenſibus translatum fuit, DITMARUS *pag. 41.* Qvo, A. MII. mortuo, Marchia ad filium Wirinharum, pretio ducentorum talentorum DITM. *p. 80.* devenit, atqve dein ad Bernhardum Ballenſtadenſem Comitem, ob caedem Dedonis Comitis, avi Thimonis, a Wirinharo perpetratae. vid. KNAUTII *Antiqvit. Pag. & Comit. Princip. Anhalt. p. 28.* & MEIBOM. *Chron. Walbecc.* Coeterum Eccardus noſter, Advocatiam etiam Gernrodenſis Monaſterii tenuit, primus ejusdem Advocatus ab Hadwigi Abbatiſſa conſtitutus. Donationes Abbatiae ab eo factas refert HOPPENROD. *Ann. Gernrod.* ex eoqve KNAUTIUS *cit. loc.* qvi pagum Suevon in Northuringia etiam ab eo poſſeſſum memorat, dein cum Advocatia, poſt ejus mortem, ad Ballenſtadenſes Comites translatum. Sororem Eccardi nominat KNAUTIUS *cit. loc.* Adelheidim, qvam tamen HOPPENRODIUS, filiam Ditmari Marchionis Luſatiae fuiſſe, refert.

§. XV.

Varii ſunt, qvos Eccardo, in Marchionatu Thuringiae, ſucceſſores tribuunt. Alii, Eccardum, Saxonum Marchionem, A. MIV. ob rebellionis crimen in Henricum II., a Bernhardo & Lothario interfectum. Alii, inter qvos ALBINUS ipſe, Eckhardum filium, ſub ſecundi nomine inter Miſniae Marchiones notum, cui iterum Ludolphum, Saxoniae Marchionem, perperam a PFEFFERKORNIO Ducem Sax. dictum, ſubſtituunt. Alii, Wilhelmum, Comitem Vinarienſem, qvem juſſu patris ab Hermanno filio, ipſo tempore caedis paternae, ſenectute ac omni bonitate proficuum, ob vindicandam Witekindi & Henrici necem, a filio

Digitized by Google

a filio illatam, Wimariae obſeſſum tradit DITM. *L. V.* Alii deniqve, Wilhelmum alium, An. MLVI. a Luiticiis occiſum. Ad Eccardum, Marchionem Saxoniae, qvod attinet, errorem detexit ipſe ALBINUS *Chr. Miſn. p. 411.* eumqve, ex confuſione cum Eccardo I. Thuringiae Marchione natum judicat. Sed nec ipſe ALBINUS ſatis probat, Eccardum II. Marchiam hanc tenuiſſe, qvamvis procul dubio, Heinrici II. beneficio, & Thuringici populi conſenſu, eam vel ipſe, vel fratrum aliqvis fuiſſet poſſeſſurus, ſi Eccardi Patris rebellio, & rerum novarum ſtudium, cui immortuus, imo filius ipſe implicitus fuit, id permiſiſſet. Patris enim fata filiis nocuiſſe, argumento eſt, Marchia Miſniae, fratri Guncelino, Eccardo occiſo, ab Henrico II. permiſſa, qvod indicat praeſidium, teſte DITM. *p. 56.* a Caeſare ad Miſnam urbem tuendam Guncelino traditum, ejusqve Boleſlao data reſponſio, illamqve non niſi diu poſt Hermanno in Comitiis, Guncelino, criminum multorum convicto, reſtitutam. Certe SAGITTARIUS, Vitae Eccardi hujus, ſcriptor accuratiſſimus, tacet, ſilet etiam DITMARUS, Miſniae Marchionum alias praeco ſolertiſſimus, qvi Eccardi Marchionis Ducatus, in Thuringia acqviſiti, & beneficiorum in proprietatem verſorum, accurata ſemper diligentia meminit, ſicco nunqvam praeteriturus pede, Eccardi II. vel ſucceſſoris Ludolphi, in Thuringia principatum, ſi eum obtinuiſſe unqvam noviſſet. Imo potius alium nominat *L. V.* WILHELMUM, Thuringorum tum potentiſſimum, qvem Henricum novum Regem, ab Alemannia in Franciam, & inde in Thuringiam venientem, cum magna gratulatione ſuſcepiſſe, militemqve ejus effectum, refert: *Ibi tunc Rex a praefato Comite, & a primis illius regionis collaudatur in Dominum, & ab omni populo rogatus, de-*

III. WILHELMUS I. *Marchio Thuringiae*

bitum bis remiſit cenſum. Non dubitandum itaqve, qvin Wilhelmus hic, poteſtate & dignitate Eccardo non inferiore, Thuringiae praefectus fuerit a Caeſare Henrico II., ad qvem Thuringia, mortuo Ottone III. agnato, jure pertinebat hereditario, cum primis, ſi verba DITMARI: *Militem Regis effectum*, attendamus, qvod de homagio praeſtito uſurpari, SAGITTARIUS indicat, *Epiſtola de Antiq. Stat. Thur.* Nec credendum, Henricum S. Slavis, Miſniam & Luſatiam vaſtantibus, Marchiam hanc, ſine rectore fuiſſe relicturum. Verum, diſerte magis rem explicat, AUTOR ſaepius citatus & coaevus, VITAE HENRICI. II. dum ei *Principis Thuringorum* nomen tribuit: *Rex igitur non multis diebus in Francia moratus, in Thuringiam ivit, ibi absqve mora* GUILIELMUS PRINCEPS THURINGORUM *cum coeteris occurrens Regis efficitur.* Vero ſimile itaqve videtur, Wilhelmum, Eccardi exemplo, a populo electum, a novo Rege tunc fuiſſe confirmatum. Non poſſumus vero non, qvin hic notemus errores BINHARDI, *in Chr. Thur.* & *Autoris* CHRON. DUCUM BRUNSV. ap. LEIBN. *T. II. p. 15.* qvorum alter Wilhelmum, Ducis nomine inſignit: alter, Wilhelmum noſtrum, ad cujus preces, Henricus debitum Thuringis remiſit cenſum, Ulricum nominat, cum aliud doceat DITM. *cit. loc.* nec Ducis, nec Ulrici, mentionem faciens. Coeterum Wilhelmum, Vinarienſem Comitem, qvem DITMARUS in caſtro ſuo obſeſſum refert, minime confundendum eſſe judicamus, cum Wilhelmo noſtro Marchione Thuringiae, qvem LAMBERTUS An. MLVI. a Luiticiis occiſum refert, qvod facit SPANGENB. *Spec. Nobil. p. 134.* Tantum enim abeſt, ut hunc cum illo eundem eſſe praeſumamus, ut potius, toto coelo differre videantur. Qvis enim crederet, Wilhelmum Vinarienſem, qvem DIT-

Digitized by Google

DITMARUS *ſenectute & bonitate proficuum*, imo dein *emeritum* nominat, ab Anno MII. ad MLVI. officio per LIV. annos adhuc praeeſſe potuiſſe, integris adeo viribus, ut proelio etiam contra Luiticios dimicans caderet. Hinc eſt, cur pro filio magis, qvam patre habendus videtur.

§. XVI.

INcidit in haec tempora, Comitis Ludovici, qvem Barbatum nominant ſcriptores, in Thuringiam adventus, cui Conradus II. Imp. vid. *dipl. de MXXXIX. ap.* PAULLIN. *Ann. Iſenac. p. 9.* & *Hiſt. de Landgr. Thur.* ap. *Piſtor. Cap. XI. atqve dein filius* Heinricus III. tanqvam propinqvo, teſte diplom. de A. MXLIV. qvod TENTZELIUS *ſuppl. hiſt. Goth. p. 302.* exhibet, certa bona *in confinio loibae ſilvae, cum parte ejus complurima*, in Thuringia Auſtrali poſſidenda dederunt. Sed nullius ad provinciam regendam traditae poteſtatis, mentionem faciunt conceſſiones Regiae, argumento certo, penes Wilhelmum Marchionem, non autem Ludovicum, ſummam poſt Henricum rerum adminiſtrationem fuiſſe. Praeterea etiam ſemper Comes tantum dicitur, & Provinciae Thuringicae Comitatum, poſt Hermanni Wincenburgici caedem, primum ad nepotem ejus delatum, infra probabimus, unde penes eum & filium non extitiſſe, patet. Nec diſcimus ex iisdem Diplomatibus, Ducum Thuringiae arma, Ludovico, qvod tamen refert LANGIUS, CHR. CIZ. *p. 771.* ap. PIST. permiſſa fuiſſe a Conrado. Contrarium probat TENTZELIUS *Supp. hiſt. p. 460. 440.* ex bracteatis nummis, Ludovico multo recentiorem eſſe Leonem Thuringicum, & Ludovicum III. nunqvam Leonem, ſed bacillos, ſ. colores varios, album ſcilicet & rubrum, qvibus

Leo

Digitized by Google

Leo poſtea ornari conſuevit, in armis geſtaſſe. Interea non negamus, autoritate regiarum literarum, a Ludovico, terram donatam, Imperio Marchionum exemtam fuiſſe, & proprio jure eidem paruiſſe, qvod tamen, cum paucorum tantum bonorum mentio fiat, illaqve Praedium dicantur, Marchionatum noſtrum magis firmat. Sed addamus ipſum diploma a Tentzelio primum editum, cum ad majorem ſententiae noſtrae illuſtrationem faciat, & Ludoviciani praedii fines accurate indicet.

IN NOMINE SUMMAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS. HEINRICUS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ROMANORUM REX AUGUSTUS. Notum eſſe volumus omnibus noſtris tam praeſentis quam futuri temporis fidelibus, qualiter nos dilecto propinquo noſtro luodovvico videlicet comiti conceſſimus edificare caſtellum Scovvonburg in confinio loibae ſilvae. cujus partem complurimam quam eidem comiti ad id negotium pius genitor noſter regia auctoritate donavit. et nos ſimiliter illi donavimus. ſed & ipſe a Gunthero quodam & biſone aliisque liberis viris praedia nonnulla inibi & villulas ſilvaticas. quarum una quidem aldinberc. alia reginherisbrunno, dicitur. precio comparavit. nec non ſaltum innovans ad campeſtria viculos per ſe ſtatuit. atque ex his omnibus ſeu noſtra donatione vel ſua comparatione circumquaque attractis. praedium unum colligitur. quod ab

Digitized by Google

ab jacentibus disjunctum his terminis et lachis concluditur. A fluviolo luoſſa usque quo influit riuulus hatenbach. et ſic ſurſum per aſcenſum ejus ad locum qui dicitur ſiurſtat. deinde deorſum ad manigfaltbach. ad viam tendentem a buſſenrot ad fontem qui eſt ad eſpincfelt. deinde verſus aquilonem ad quandam ſiſſam juxta mochonouua. usqve ad bivium ubi una via tendit linungon. altera oſteruuiſon. contra orientem villae erpheſrot. inde ſurſum per callem inter duos montes. grinberc et turiberc. hinc per latus ſantberc. ad locum ubi ſulzbach cadit in trochonlinaha. et ſic ſurſum ad uuanonbrugga. deinde a buochbrunno ad tierbouum. hinc ad barciſtich. uſque trocchonlinaha. ad plateam quae tendit ſuper abbichonrot. ſicque per eandem plateam usque everhardesbruggon. inde ad occidentem usque tambach. et ſic ſurſum ſuper fluviolum ſchmalachaldon usque cholobach. et inde ſuper quoddam mirice ad brunuuardesrot. usque in plateam quae illic eſt. perque plateam usque ad radices montis tatenberc. ſuper riuulum louchaba. usque ad latus montis teneberc. ſicque poſtremum ad ſupra dictum fluviolum louſſa. Omnia quae cinguntur his terminis cum villulis infra poſitis aut ponendis. omnibusque ſuis appenditiis. hoc eſt areis. pratis. paſcuis. ſilvis. venationibus. piſcationibus. montibus et vallibus. uiis et

inuiis. cultis et incultis. aquis aquarumue decurſibus. exitibus et reditibus. quaeſitis et inquirendis. cum omni utilitate, quaecunque modo nominari vel dici poſſit. praedicto comiti Ltodouuico his regalibus edictis ſtabilita in perpetuum fecimus. Decernimus etiam ut nullus omnino hominum ſeu quaelibet perſona potens aut impotens princeps aut dux aliquid negotii in his locis niſi cum illius voluntate et juſſu exerceat. ſed ipſi ſoli posſidere. dare. commutare. cuicumque velit legitimo proprietatis jure poteſtatiue in ſempiternum liceat. Ut autem hujus noſtrae pietatis traditio veraciter ab omnibus ſemper credatur. ſtabilisque et inconuulſa jugiter permaneat, hanc inde cartam teſtamentariam conſcriptam. et manu propria corroboratam. ſigilli noſtri impreſſione inſigniri juſſimus. SIGNUM DOMINI HEINRICI TERCII REGIS INVICTISSIMI. THEODORICUS CANCELLARIUS VICE BARDONIS ARCHICANCELLARII RECOGNOVI.

Vocum Geographicarum obſcuriorum explicationem, qvae in hiſce literis occurrunt, & cum Conradino diplomate conveniunt, exhibet PAULLINI ANN. *Iſenac. p. 11.* Dubia hinc fide niti videtur, SIFFR. PRESBYT. Anno MCXL. in iis qvae, de Ludovico principatu Thuringiae donato, refert, nullius ejusdem aevi teſtimonio nixus, & Thuringiae Marchionatum plane ignorans. Qvamvis enim Ludovicus II. Comes, aliis Saltator, in literis Walrami

mi

Digitized by Google

mi Epiſcopi Numburgenſis, dicatur Princeps Sereniſſimus & Glorioſiſſimus, illud tamen partim adulationi Epiſcopi dandum, ut Ludovicum in regias partes adduceret, partim etiam moribus ejusdem Seculi, qvo Comites inter Principes relati. Vid. LEIBNIT. *Praef. T. II. Scrip. Brunſv.* Unde & Azzo Comes Italiae in vita *Mathildis Ducatricis* a DONNIZONE PRESBYTERO ſcripta, Princeps dicitur. *Cap. II.* Anteqvam vero hinc abeamus, notatu dignum erit, Thuringiam, Ottonum ſtirpe in Henrico S. deficiente, cum Imperio, poſſeſſore vacuam, vi ſupremi dominii imperio competentis, ad Conradum II. perveniſſe, ab eoqve & ejus in Regno ſucceſſoribus, ſuffragio Imperii principum conſtitutis, tanqvam Regium patrimonium, deleto prorſus Ducatus nomine, vicaria Marchionum poteſtate, gubernatam fuiſſe. Qvo tempore Marchionatus immediate Regno ſubeſſe coepit, qvi antea ſub Ottoniana ſtirpe, mediate, per Ottonianum genus, tanqvam Thuringiae duces paruerat. Deniqve non eſt cur miremur, qvare non ab Heinrici poſteris Thuringiae Ducis titulus fuerit continuatus. Ratio in promptu eſt, qvoniam illi qvi Thuringiam poſſidebant, Imperatoria ſimul dignitate conſpicui erant, atqve hujus titulo contenti, nec Saxoniae nec Thuringiae ducum appellatione uterentur, qvod & ab Imperatoribus Franciae ac Sueviae Ducatus poſſidentibus, factum videmus, ſimplicitate illorum temporum longam titulorum ſeriem reſpuente.

§. XVII.

Verum redeamus ad Wilhelmum noſtrum, cujus obitum LAMBERTUS A. MLVI. tradit, qvando eum cum

Dieterico Comite in bello cum Luiticiis (Slavis ſeptentrionem verſus, Thuringiae Boreali, in agro Megapolitano vicinis) occiſum memorat. Conſentit CHRONOGR. SAXO *eod. ann. Magna caedes a Luiticiis in Chriſtianos facta eſt, qvorum qvidam gladio qvidam fugientes in aqva periere, inter qvos Wilhelmus Marchio occiditur*, vid. PAUL. LANGIUM *Chron. Cizic. h. a.* & ABB. URSPERG. *p. m. 167. Magna caedes a Luiticiis in Chriſtianos facta eſt, qvorum qvidam gladio qvidam fugientes in aqva perierunt, inter qvos Wilhelmus Marchio occiditur.* Quanti momenti tam clades ipſa, qvam Marchionis caedes fuerit, indicat MAR. SCOTUS *pag. 451.* qvando Henricum III. Imperatorem, dolore maximo ideo affectum, brevi poſt mortuum notat: *Imperator his doloribus corde compunctus infirmari coepit, & productus ad mortem ſapienti uſus conſilio, ab omnibus qvibus potuit veniam petens qvibusdam praedia ablata reſtituit &c.* Eadem habet ABB. URSPERG. *p. m. 167.* conf. etiam DODECH. *pag. 466.* CHRONOGR. SAX. *h. a.* ANN. HILDES. *T. I.* A. MLVI. ap. LEIBNIT. *Scr. Br.* & DUSCHESNIUM, SPANGENB. *Chron. Mansf. p. 257.* qvi tamen Luiticios cum Luſatis, longe a ſe invicem diſtantes, confundit, qvos recte diſtinguit ALBINUS *Chr. Miſn. pag. 77.* Coeterum Wilhelmi noſtri in Boreali etiam Thuringia poteſtatis non minimum eſt argumentum, praelium hoc cum Luiticiis Slavis Boreali qvidem, ſed non Auſtrali Thuringiae, ſi ſitum regionis ſpectamus, a ſeptentrione finitimis & infeſtis, qvos cum fines defenderet, hoſtes expertus eſt. Viduam ejus Odam, in uxorem duxit, Dedo. I. Marchio Miſniae, & poſt mortem Hodonis etiam Orientalis, ſ. Luſatiae, Theoderici Comitis Wetinenſis, qvem alii Landsbergenſem Marchionem nominant, filius, qvod verba ANNAL. HILDES. qvos jam citavimus pluribus do-

Digitized by Google

docent, A. MXXXIV. *Thiedericus Comes Orientalium, a militibus Eggibardi Marchionis in proprio cubiculo, ficta ſalutatione circumventus; cujus dignitatem honoris, Daedi filius ejus obtinuit, qvi poſtea Odam Wilhelmi Thuringorum Praetoris viduam in conjugium adſciuit.* Conſentit SAGITT. *Antiq. Alſtet.* §. *XII.* Qvae de Wilhelmo II. Marchione ideo intelligi neqveunt, cum ut §. XIX. demonſtrabimus, ſponſus mortuus, ejusqve Sponſa Carentanorum Principi ſociata, ipſe etiam Wilhelmus II. Wilhelmi I. & Odae filius fuerit. Reliqvit enim tres filios Wilhelmus I. ex Oda ſuſceptos, qvorum primus Otto, ejusdem nominis II. inter Thuringiae Marchiones, ſed inter eosdem, ſi ordinem ſpectamus, ſextus. Ita enim loqvitur CHRON. MONTIS SERENI *p. m. 202. Secundus filius Dedo Marchiam Hodonis Marchionis obtinuit, qvi haeredem non habuit, & duxit uxorem Odam, matrem Ottonis Marchionis de Orlamunde, genuitqve ex ea Dedonem juniorem, qvi in pueritia per poſteriora confoſſus interiit &c.* & p. 203. *Defuncto vero Ottone Marchione, & matre ipſius Oda praedictus Dedo Marchio, viduam ejus Adelam duxit uxorem.* Ex qvibus, & adductis antea Annalium Hildes. verbis, ſuſpectam deprehendimus fidem, CLAUDERI *in Stemm. Sax.* & HöNNII, in des Chur und Fürſtlichen Hauſſes Sachſen / Wapens und Geſchlechts Unterſuchung / *p. m. 151.* unam tantum conjugem, cujus nomen aliis Adela, aliis Oda dicatur, Dedoni I. Miſniae Marchioni, adſcribentium. Secundus Wilhelmi I. filius, fuit Wilhelmus II. inter Thuringiae Marchiones, qvi fratrem Ottonem II. in Marchia regenda anteceſſit, *vid.* §. *XIX.* & *XX.* Tertius dictus eſt Kribo, Diaconus, de qvo Lamberti verba §. XX. adducemus. Filiam Wilhelmi I. colligimus fuiſſe Agnetem, Friderico I. Comiti Palatino e Gozecenſibus, matrimonio junctam.

ctam. Quamvis enim Agnes, in *Appendice* CHRONICI MONTIS SERENI *p. m. 202.* Dedonis I. Marchionis filia dicatur, verbis: *Altera (Dedonis Marchionis filia) Agnes nupſit Friderico Comiti, peperitqve ei tres filios* &c. aliud tamen docet *Autor* CHRONICI GOZECENSIS, Agnetem e Vinarienſium Comitum ſtirpe, originem ducere, referens. Ita vero loqvitur *p. m. 207. Comes Fridericus fama referente hujus nominis primus de nobiliſſima antiqvorum Saxonum & Francorum proſapia originem ducens, nobilitatis gradu non inferiorem Dominam Agnam, procerum de Wimare filiam ſibi in conjugio ſociavit: ex qva praedictos tres fratres, ſororemqve eorum Vdam genuit.* Qvo teſtimonio adductus, judico, Agnetem Wilhelmi I. Orlamundenſis & Vinarienſis Domini filiam, & Dedonis I. Marchionis Miſniae, ducta matre Oda, privignam fuiſſe, eamqve ideo in Appendice Montis Sereni Dedonis filiam, confuſione facta, nominari. Ut enim Gozecenſis Chronici autoritatem praeferam, movet me accurata, a Monacho ejusdem autore, ſtemmatis ejusdem deſcriptio, qvod Monaſterium ſuum fundaverat, ac multis beneficiis ornaverat. Certe multorum, tam ex Principum qvam Comitum genere, qvorum tamen res geſtas ſcriptorum freqventia praedicat, origines & poſteritatem, ignoraremus, niſi Monaſteria ab illis fundata, memoriam eorum conſervaſſent. Cum enim Monachi & Abbates in otio viventes, illud ante omnia cuperent, ne ſuam & Monaſterii ſui memoriam poſteri ignorarent, illud etiam ex gratitudinis lege erga fundatores ſuos, & ut eorum exemplo poſteri eorum, ad beneficia & donationes praeſtandas incitarentur, cordi habuerunt, ut qvam diligentiſſime eorum origines notarent, ſubjectis etiam nonnunqvam fundationum literis. Ut itaqve major eis qvam aliis in hoc gene-

Digitized by Google

genere fides habenda videatur , & ſi vel nullum ex tanta illorum ſeculorum in Eccleſias profuſione , qvo Clericorum ambitio, & rei Eccleſiaſticae decrementum auctum, commodum reſtaret , hoc certe ſufficere poſſet. Frater Wilhelmi I. ſed ex diverſa matre, Slavica ſcilicet, a Lamberto dicitur Otto, ſcriptoribus , ob rebellionis crimen in Henricum IV. Imperatorem, & motus in Thuringia, contra Ottonem I. Marchionem , excitatos , ut mox demonſtrabimus, notiſſimus.

§. XVIII.

IV. OTTO ſ. UDO. I. *Marchio Thuringiae*

Marchia itaqve poſt Wilhelmi mortem ad Ottonem pervenit, qvem alterum ex fratribus nominat ALBINUS *cit. l.* Tacet hoc LAMB. SCHAFFNAB. *cit. l.* verbis: *Wilhelmo Marchioni ſucceſſit Vdo Comes , vir valde induſtrius, & Regi conſanguinitate proximus.* Nec dubium , qvin , cum fratris Wilhelmi , ſed ex diverſa matre, Ottonis, natales, & reliqvorum Marchionum cognationem & conjugia, tanta notaverit diligentia Lambertus , non minus, Ottonis Marchionis Originem eadem ratione fuerit notaturus , qvam cognationem ejus cum Imperatore retulit , ſi ſanguine Wilhelmo junctum fuiſſe, unqvam noviſſet. Atqve hinc eſt, unde non minimum argumentum Marchionatus Thuringici non hereditarii, deſumendum judico, cum ſuperſtite fratre Wilhelmi , ejusqve filiis Wilhelmo II. & Ottone II., Marchia ad extraneum, Ottonem, Regi conſangvinitate junctum, ſpreta ſucceſſionis lege, deferretur. Recte enim ab Albino Udonem ſeu Ottonem I. Marchionem, ab Ottone, qvem Wilhelmi I. fratrem nominat Lambertus & Marchiae invaſorem, diſtingui, Lamberti autoritate ſtatui-

ſtatuimus. Illum enim juſtum in Marchia ſucceſſorem nominat, verbis: *Wilhelmo Marchioni ſucceſſit Udo Comes, vir valde induſtrius, & Regi conſanguinitate proximus.* Hunc, Marchiae & Regni invaſorem dicit: *Is comperta morte fratris, magna ſpe obtinendae hereditatis regreſſus, in Saxonia, a cunctis illic principibus benigne accipitur, magnisqve omnium adhortationibus inſtigatur, non modo Marchiam, qvae ſibi jure hereditario competeret, ſed ipſum qvoqve Regnum affectaret.* Illum, Udonem dicit, (qvamvis idem ſit ac Otto) hunc Ottonem. Illum, Regi conſanguinitate proximum, hunc, Wilhelmi I. ex matre tamen impari, Slavica ſcilicet, fratrem nominat. Hinc non video, qva ratione excuſari poſſit SPANGENBERGIUS, *in Chronico Mansfeldico pag. 257.* utrosqve confundens, qvando Ottonem, a Brunone Saxoniae Marchione interfectum, eundem eſſe ſtatuit, cum Vdone, Wilhelmi I. in Marchionatu, ſucceſſore. Coeterum non diuturnum nec pacificum fuiſſe Imperium Ottonis noſtri, partim, Wilhelmi II. A. MLXI. ſucceſſio, partim, Ottonis Wilhelmi I. fratris, in Marchia non minus, qvam tota Germania, contra Henricum IV. Imperatorem, turbae ſuſcitate docent, qvas LAMBERTUS An. MLVII. atqve ſimul Ottonis, & Brunonis Saxoniae Marchionis, funeſtam mortem, his verbis deſcribit: *Principes Saxoniae crebris conventiculis agitabant, de injuriis, qvibus ſub Imperatore affecti, arbitrabanturqve, pulchre ſibi de his ſatisfactum fore, ſi filio ejus (dum adhuc aetas opportuna injuriae eſſet) Regnum eriperent, nec procul a fide aberat, filium in mores vitamqve patris, pedibus, ut ajunt, iturum fuiſſe. Acceſſit ex inſperato magnum turbandis rebus adjumentum, Otto frater Guilielmi Marchionis, ſed matrimonio impari, matre ſcilicet Slavica natus, vir acer ingenio, & manu impiger. Is apud gentem Boëmorum*

jam

Digitized by Google

jam a puero exulaverat, ſed, comperta morte fratris, magna ſpe obtinendae hereditatis regreſſus, in Saxonia a cunctis illic principibus benigne accipitur, magnisque omnium adhortationibus inſtigatur, non modo Marchiam, quae ſibi jure hereditario competeret, ſed ipſum quoque Regnum affectare. Ubi alacrem paratumque negotio advertunt, fidem illi omnes dicunt, ſuas quisque manus, ſuam operam pollicetur; regemque ubicunque fortuna opportunum feciſſet, interficere conſtituunt. Perculſis metu omnibus, quibus rerum publicarum ſollicitudo aliqua erat, & magnopere intentis, ad ſedandam turbam quae oriebatur, placuit regem ocius in Saxoniam venire, & periclitanti Reipublicae, quaqua poſſet ratione conſulere. Itaque natalem SS. Apoſtolorum Petri & Pauli in Erſenburg celebraturus erat, eo quicquid principum erat in Saxonia ad colloquium evocari juſſit, quo dum pergerent pro ſua ſinguli copia, magna militum manu ſtipati, contigit, ut Brun & Ecbertus Patrueles regis, caſu in multitudinem praedicti Ottonis, conglobato agmine, ad curtem regiam proficiſcentis, hi praeter cauſam publicam privatis quoque inimicitiis infeſtiſſimi illi erant. Nec mora, dato militibus ad pugnam ſigno, equis ſubdunt calcaria, & pari utraque pars audacia, paribus odiis, in vulnera ruunt. Ibi in prima fronte Brun & Otto, ambo pleni irarum, ambo ſui tegendi immemores, dum hoſtem ferirent, tam concitatos in ſe viciſſim impetus dederunt, ut uterque alterum primo incurſu, equo excuſſum lethali vulnere transfoderet &c. Sic respublica maximo metu liberata eſt, & Saxones adempto rebellionis ſignifero, nihil ulterius quod ſecus eſſet, contra Regem moliti ſunt.

Conſentit cum Lamberto CHRONOGR. SAXO, *eod. an. Otto frater Wilhelmi Marchionis ſed matrimonio impari, matre ſcilicet Slavica natus, vir acer, & ingenio & manu impiger, ad Regis curtem Merſepurg pergens a Brunone & Egberto Comite circumventus eſt, juxta villam quae dicitur Nientorp, ſecus fluvium*

F Sali-

Salicam, mox Bruno & Otto, ambo pleni irarum tam concitatos in ſe viciſſim impetus dederunt; ut uterqve alterum primo incurſu eqvo excuſſum lethali vulnere transfoderet. Rem geſtam, Rhytmice, idiomate Saxonico antiqvo, deſcribit Autor ANONYM. CHRON. RHYTMICI *Princ. Brunſv.* ſub initium Sec. XIII. exaratum, qvod ex Manuſcripto Guelferbytanae Bibliothecae, antiqviore idiomate exaratum, qvam illud, qvod Goblerus ediderat, in lucem emiſit Illuſtr. LEIBNITIUS, *T. III. Scr. Brunſv.* ita enim loqvitur Cap. XVIII.

By den tiden, ok darna,
Saet an groten love
To Mersborg am hove
Der dridde Keiſer Henrich:
Dar ſeck de Forſten alglich
Reydeden an ſchönen gerede:
Dar ſolden ok de Furſten beide
Maken hen oer reiſe.
Frölich, ſunder freiſe
Erhoven ſe ſek up der vart,'
Mit Ridderſchap to hove wart;
Alſo ſe bi Neyndorp weren komen,
Uppe de Seleken, da wart vernomen,
Van tweeen heren ut Doringen lant,
Der eyne Otto, de ander Wilhelm waren genant,
De an ſigentliker weide,
Mit den Förſten beide

Stun-

Stunden, unde ön to mate quamen,
De helde ör Schilde to armen namen
Vil manlike weder ſit
Dar erhof ſeck eyn Michel ſtrit,
An groten gedrenge
Dar wart de dorvart enge
Wann ros gegen ros quam gedrungen
Dar wart der ſtreit dorchſchlungen
Van Sasſen Doringen hi unde dar;
Der ander wart geſtrowet gar
Mit mangen unterwelten libe
An deme ſulven kiwe
Wart der Förſte Brun erſchlagen;
We mochte dat ſachte dragen;
Sin broder Markgrave Eckelbrecht
Alleine de ſine ſunder Schaden nicht,
Erslugen ok eynen der Doringeſchen Heren,
Wer dat wolde ſchiren
De Saſſen ut den Doringen gar,
Unde de Doringe uter der Saſſen Schar,
Der were geweſt Sinnen riche &c.

Deprehendimus ex hoc, qvod tacuerat Lambertus & Chronographus, Wilhelmum II, dein Marchionem, patrui Ottonis in hac pugna ſocium, idemqve notat CRANTZIUS *Sax. p. m. 281.* & STADWEGII *Chron. ap.* LEIBNIT. *T. III. Ecbertus und Bruno Ludeleves Sone, Hern to Brunſchw, warden vor dem Keyſer eſchet, und Bruno wart by Neindorpe ſchla-*

gen van Otten und Wilhelme, den Hern van Döringen. Quae cauſa fuerit mutuae hujus caedis, indicat Lambertus praeter cauſam ſcilicet publicam, privatas inimicitias nominans. Eas non alias fuiſſe judicamus, qvam ſimultates de collata Ottoni I. Marchia Thuringica, & qvam ipſe Otto Wilhelmi I. frater jam adfectabat, in praejudicium Brunonis & Egberti Saxonum Marchionum, ad qvorum majores, Thuringia olim pertinuerat. Vero itaqve ſimile videtur, Henricum IV. Imperatorem, ut cauſam diſſidiorum extingueret, Egberto dein I., mortuo Ottone II. Marchione, eam contuliſſe. Delemus vero, Ottonem hunc a Brunone occiſum, merito e Marchionum Thuringiae numero, partim, qvod Otto I. qvem omittit PFEFFERKORNIUS *p. 136.* teſte Lamberto, tanqvam juſtus Marchio, annuente Henrico IV. Marchiam teneret, partim etiam, qvod conſilii, qvod de occupanda Marchia coeperat, brevi poſt tempore occiſus, compos nunqvam fuerit factus. Notamus tandem hic merito, fidem CHRONICI VET. BRUNSVIC. DUCUM ap. LEIBN. *T. III. Scr. Br.* Ottonem hunc, cum Ottone II. Marchione, ob decimas Thuringis impoſitas, noto, confundentis. Nec minus ex adductis patebit error CRANTZII in *Saxon. p. 281.* qvando illum, & Wilhelhelmum II. Thuringiae Landgravios nominat, Landgravii dignitate multis annis poſteriore. Coeterum viduam Ottonis occiſi relictam, Dedoni I. Marchioni Miſniae, matrimonii foedere junctam fuiſſe, notat qvidem ALBINUS *l. c.* Verior tamen eſt eorum ſententia, ac hiſtoricae veritati magis convenit, qvi Odam, Dedoni primis votis ſociatam, Udonis f. Ottonis Marchionis Luſatiae ſororem fuiſſe, & Wilhelmi I. Thuringiae Marchionis viduam relictam, autoritate ANN. HILDES. qvorum verba §. *XVII.*

ci-

Digitized by Google

citavimus, ſtatuunt. Inde etiam LAIRITZII ſententia in Hiſtor. Palm-Wald/corruit, qvi eam Ditmari, Luſatiae Marchionis viduam nominat.

§. XIX.

Ottonem I. in Marchia Thuringiae excepit Wilhelmus II. Orlamundanus & Vinarienſis Comes, Wilhelmi I. Thuringiae Marchionis, non Ottonis, Marchiae invaſoris, a Brunone interfecti, qvod ALBINUS ſtatuit, *l. cit.* filius, uti §. *XVIII.* demonſtravimus. Socium itineris Ottoni, Wilhelmi I. fratri ad comitia Martiſpurgenſia, qvae, Henricus IV. Imp. ad diſſidia Ottonis cum Saxoniae Marchionibus componenda, convocaverat, imo & praelii ejusdem, cum illis fuiſſe ſupra ex STADWEGII *Chron.* & CHRON. RHYTMICO, §. XVIII. notavimus. Verum rebellioni Ottonis in Imperatorem, eum fuiſſe implicitum, vix eſt, ut nobis perſuadere poſſimus. Qvis enim crederet, Henricum Imperatorem recenti adhuc crimine, Marchiam, Slavis vicinam & Saxonibus, cum qvibus contra Caeſarem Otto conſpiraverat, Wilhelmo fuiſſe commiſſurum, ſi fidem, qvam imperio debebat, violatam noviſſet. Imo, tantum abeſt, ut ſcriptores, criminis hujus mentionem faciant, ut potius fidem, qvam Imperio praeſtitit, uno ore extollant. Lambertus enim, Chronographus Saxo, Paulus Langius aliiqve, expeditionem contra Ungaros Imperii nomine ac Caeſaris juſſu, qvamvis infelici ſucceſſu, ſuſceptam, virtutem, qvae Barbaris etiam admirationi fuit, in praelio cum illis commiſſo, praedicant. Iisdem etiam debemus, qvae de affinitate ejus, qvam cum Ungarorum Regis filia, ſi ſuperſtes fuiſſet, contraxiſſet, de cognatione

V. WILHELMUS II. *Marchio Thuringiae.*

ejus cum Carentanorum Marchione Udalrico, de magnis ejus in Thuringia poſſeſſionibus & opibus, ac deniqve de immaturo ejus obitu, cum ſponſam domum ducturus, in itinere verſaretur, novimus. Sed audiamus ipſa ſcriptorum teſtimonia, ita enim LAMB. SCHAFFNAB. Anno MLXI. *Rex Wilbelmum Marchionem Thuringorum & Epponem Cizicenſem Epiſcopum, cum Duce Boemorum, & exercitu Bavarico illuc miſit. Sed Marchio & Epiſcopus, priores Ungariam ingreſſi, non expectato Duce Boemorum, cum Bela ſigna contulerunt, atqve infinitam multitudinem peremerunt. Deinde cum ex omni parte Ungari ad ferendum ſuis auxilium, freqventes confluxiſſent, videntes Miſſi Regis, tantae multitudini ſe numero & viribus imparem eſſe, finibus hoſtium excedere volebant. Verum illi loca omnia, per qvae exitus eſſe poterat, occluſerunt, tum neqvid cibi aut potus in via reperiretur, providerunt. Cumqve inſuper abeuntes crebra incurſione infeſtarent, & illi ſemper periculum vitae propulſantes, magnam hoſtium ſtragem darent, tandem diuturna caede exhauſtis viribus, Andreas eqvo forte excuſſus, pugnantium pedibus eſt conculcatus, Epiſcopus captus, Marchio fame magis qvam ferro expugnatus ſe dedidit; cujus virtus tantae admirationi apud barbaros fuit, ut Joas filius Belis, pro illius tum gentis moribus, baud deſperatae indolis adoleſcens, ultro patrem exoraret, non modo, ut eum jure belli intactum ſineret, ſed etiam ut affinitate ſibi jungeret, deſponſata ei filia ſua ſorore Jojada.* Conſentit CHRONOGR. SAXO Anno MLXI. *Henricus Rex Wilbelmum Marchionem Thuringorum & Epponem Cicenſem Epiſcopum, cum Duce Boemorum, & exercitu Bavarico miſit in Ungariam, ad ferendum auxilium Regi Andreae.* Addamus & PAUL. LANGIUM *Chr. Ciz.* eod. anno. *Henricus Rex Epponem Epiſcopum noſtrum, una cum Wilbelmo Marchione Thuringorum, & exercitu in Ungariam, ad auxiliandum Regi Andreae, qvem*

qvem Bele frater ejus , regno vi & armis deturbare nitebatur, miſit, qvi illuc venientes , cum Bele ſigna contulerunt , atqve infinitam multitudinem Ungarorum peremerunt, ſed Ungari poſt aucti, ipſos vice verſa vehementer urgere coeperunt. Videntes itaqve Miſſi Regis, ſe impares & numero & viribus, finibus hoſtium excedere volebant, ſed in fuga intercepti, ab hoſtibus crebra incurſione infeſtantur. Cum autem ſe viriliter defenderent, & hoſtes reciproce caederent, tandem diuturna caede ex hauſtis viribus, Andreas Rex, eqvo forte excuſſus, pugnantium pedibus eſt conculcatus, Epiſcopus captus, Marchio fame magis qvam ferro expugnatus ſe dedidit. Cujus virtus tantae admirationis apud barbaros fuit , ut Joas filius Belis, pro illo ultro patrem exoraret, non modo ut eum jure belli intactum ſineret, ſed etiam ut affinitate ſibi jungeret, deſponſata ei filia ſua Jojade. Et ſic tandem cum gloria dimiſſus, cum Epiſcopo & aliis, qvi ſimul venerant, & caedibus ſupererant, ad propria eſt reverſus. Affinitas itaqve haec, ſine dubio, non ſibi tantum & Epiſcopo, ſed & Imperio utilis fuiſſet futura, niſi mors ejus immatura, ſponſam domum ducere, prohibuiſſet. Ita enim LAMBERTUS An. MLXI. *Wilhelmus reverſus in Thuringiam, dum redire in Ungariam, & ſponſam ſuam cum magna opum ſuarum oſtentatione adducere pararet, inter eundum , ſecunda manſione morbo correptus, obiit.* Idem iisdem verbis referunt, CHRONOGRAPH. SAXO & PAUL. LANGIUS cit. l. SPANGENB. *Chr. Manſ. p. 260.*

§. XX.

MOrtuo itaqve Wilhelmo II. ſucceſſor datus eſt ab Imperatore Heinrico IV. frater ejus OTTO. Ita enim LAMBERTUS A. MLXII. *Sponſam ejus Udalricus Marchio* VI. OTTO II. *Marchio Thuringiæ.*

Ca-

Carenthanorum cognatus ejus accepit, Marcham Otto frater ejus obtinuit. CHRONOGR. SAX. *eod. an.* Marchionem de Orlamunda nominat eum Aut. CHR. MONTIS SEREN. *pag. 202. Secundus filius Dedo duxit uxorem Odam matrem Ottonis Marchionis de Orlamunde &c.* Ottonem vero noſtrum filium fuiſſe Odae, indicant ejusdem verba *p. 203. Defuncto vero Ottone Marchione & matre ipſius Oda, praedictus Dedo Marchio viduam ejus Adelam duxit uxorem.* Dictum vero eum Marchionem de Orlamunda inde judico, qvod Orlamundanum teneret Comitatum, in ipſaqve forſan Orlamunda ſedem haberet. Uſitatiſſimum vero eſſe ſeculi medii ſcriptoribus, a ſede, principibus, adjecto dignitatis, non principatus nomine, appellationem dare, infra §. XXIV. pluribus demonſtrabimus. Beneficia certa ab Epiſcopo Moguntino eum tenuiſſe, diſcimus ex Lamberto, diverſa tamen a Marchia, qvam facile ab Imperatore impetratam, beneficia non item, refert, certiſſimo argumento, irriti juris a Moguntino in Thuringiam univerſam praetenſi. Qvod cum non animadverteret SPANGENBERGIUS *Chr. Manſf. p. 260.* Marchiam cum beneficiis Moguntinis confundiſſe videtur. Ita vero loquitur LAMBERTUS, *Marcham Otto frater ejus obtinuit, ſed is beneficia Moguntini Epiſcopatus aliter obtinere non potuit, niſi permitteret decimas ſe de ſuis in Thuringia poſſeſſionibus daturum, & caeteros Thuringos, ut idem facerent, coacturum, quae res multorum malorum ſeminarium fuit, deteſtantibus omnibus Thuringis factum ejus & afferentibus, mori ſe malle, quam patrum ſuorum legitima amittere.* vid. ead. ap. CHRONOGR. SAXONEM *h. an.* Decimas enim non dediſſe Thuringos, ſed tributum ad coquinam Regis, docet citatum CHRON. *Brunſv.* DUCUM *ap.* LEIBNIT. *T. III. p. 16.* eoque remiſſo, a praeſtationibus liberos fuiſſe. Quàm tena-

naces itaque fuerint in libertate ſua contra Moguntinum aſſerenda, & poſt mortem Ottonis vindicanda, tam turbae inſecutae,& bella cum Henrico IV. inde enata,quam ſeqventia LAMBERTI verba tradunt: An.MLXVII. *Otto Marchio Thuringorum obiit, gaudentibus admodum in morte ejus Thuringis, eo qvod ipſe primus ex principibus Thuringorum, decimas ex ſuis in Thuringia poſſeſſionibus dare conſenſiſſet, & per hoc calamitatem maximam, genti ſuae invexiſſe videretur.* Qvo teſtimonio inſtructi, Scriptorum autoritati adverſari judicamus ſententiam Hönnii, in des Chur-Hauſes Sachſ. Wapens Unterſuchung p. 151. Ottonis noſtri annum obitus in A. MLXVIII. rejicientis. Coeterum Ottonis noſtri mentionem facit privilegium Henrici IV., datum Friderico II. Palatino Comiti Saxoniae e Gozecenſibus, *dat. Goslar. III. Non. Decembr. MLXIV.* qvo Friderico Mercatum in loco hereditatis ſuae Sulza permittit, apud SAGITT. *Antiq. Alſtet.* verbis: *In loco hereditatis ſuae Sulza dicto, pago Thuringiae, in Comitatu* OTTONIS MARCHIONIS *ſito, eidem exerceri mercatum permiſimus.* Frater Ottonis II. & Wilhelmi II. Kribo Diaconus *Lamberto* dicitur. *A. MLXXI. Kribo frater Ottonis Diaconus a propriis ſervis occiſus, vir tam divinis qvam ſecularibus literis apprime eruditus, ſed propter laſciviam, morumqve intemperantiam merito bonis omnibus gravis & inviſus.* Viduam Ottonis, Adelam, qvam genere Brabantinam fuiſſe diſcimus ex CHR. MONTIS SERENI *p. 203. Defuncto vero Ottone Marchione, & matre ipſius Oda, praedictus Dedo Marchio viduam ejus Adelam duxit uxorem. Haec fuit nata de Brabantia ex caſtello, qvod dicitur Lovene*, ſucceſſor Ecbertus, uxore repudiata, ducere conſtituerat, teſte *Schafnaburgenſi An. MLXVIII. Paucis diebus, anteqvam vita excederet*, (ſc. Ecbertus) *repudium ſcribere cogitaverat, & contra leges ac ſtatuta Ca-*

 nonum,

Digitized by Google

nonum, viduam Ottonis Marchionis, matrimonio ſibi jungere, qvod haec forma elegantior, & efferatis moribus, ſuis opportunior videretur, ſed mors opportune interveniens, nefarios conatus intercepit. Duxit tamen eandem Dedo I. Marchio Miſniae, teſte Autore ANNAL. HILDESIENSIUM apud LEIBNIT. *T. I. p. 767.* & LAMBERTO *loc. cit.* multarum in Thuringia turbarum cauſam, & belli Saxonum Thuringorumqve, cum Henrico IV. Imperatore incentricem. Coeterum non caperemus, qva fide LAZIUS *L. IX. de Migrat. Gent.* tam Ottonem II. qvam Wilhelmum II. Thuringiae Marchiones, generi Comitum Wetinenſium ac Marchionum Miſnenſium inferret, niſi autoritatem ejus, non ſemper dubiis exemtam eſſe, notiſſimum eſſet. Tantum enim abeſt, ut ex ejus ſententia, eos Geronis, qvem Brenenſem Comitem vulgo nominant, Dedonis I. March. Miſn. fratris filios ſtatuamus, ut potius, tam ſi temporis ſeriem ſpectemus, qvam etiam alias, longe invicem a Geronis filiis differre, pro certo habeamus. Idqve autoritate LAMBERTI, qvi bello Henrici IV. cum Saxonibus & Thuringis, Wilhelmum, Henrico Saxoniam opprimenti, cum aliis Saxoniae principibus reſtitiſſe, memorat An. MLXXVII. cum tamen Wilhelmi & Ottonis Marchionum tempore, bellum Saxonicum nondum coeperit, atqve ille MLXII., hic MLXVII. diem ſuum obierit.

§. XXI.

VII. EGBERTUS I. *Marchio Thuringiae.*

Marchiam itaqve morte Ottonis vacuam, praeteritis reliqvis ex Orlamundano ſtemmate comitibus, ſuſcepit EGBERTUS I., ab Henrico IV. patrueli, ſeu ſobrino potius, cum Giſela Conradi Salici uxor, ex diverſis maritis, & Hen-

Henrici IV. & Egberti noſtri avia cōmunis fuerit. Ita enim LAMBERTUS A. MLXVII. *Marchiam ejus Egbertus Patruelis Regis ſuſcepit.* Egberti hujus Saxoniae Marchionis,& Brunſvicenſis Urbis & Dominii Domini, nunc etiam Thuringiae principatu aucti, res pace belloqve geſtae, notae ſunt ſatis ſuperioris aevi ſcriptoribus. LAMBERTO & CHRONOGRAPHO SAXONI A. MLVII. fides ejus in Ottonis I., Wilhelmi I. Marchionis Thuringiae fratris, rebellione, Henrico IV. Imperatori praeſtita, probatur. BOTHO *in Chron. Sax. pict: apud Leibnit. T. III. p. 328.* ſtudium ejus in rebus Eccleſiae promovendis praedicat. Verum non diuturnum ejus fuit imperium, altero enim ſtatim poſt anno defunctus. LAMBERTUS *MLXVIII. Rex Natalem Domini Goslariae, necdum ſoſpitate ad plenum recuperata celebravit, a qvo Egbertus Marchio, exactis diebus feſtis digreſſus, dum ſe in ſua recepiſſet, modica febre pulſatus, terminum vitae accepit.* In terris Saxonicis Brunſvici mortuum & ſepultum refert *Autor* CHRON. PICTURA I I *p. 328. So hadde ſyn Vader der olde Eggebrecht, begunt to buwen eyne kerken, van ſtunt ſtorff he, unde wart dar in begraven, do kam de junge Eggebrecht, unde buwede de kerken fullen rede, in de ere ſunte Ciriacus, unde der hilligen Crutzes, unde het upp dem borge vor Brunswick.* Plura de Egberto hoc vid. *in Anonym. Chron. Duc. Brunſv. ap.* MADERUM *Antiqv. Brunſv. p. 22.*

§. XXII.

Pervenit nunc Marchia ad filium EGBERTUM II. ex Ottonis de Schwinfurt Sueviae Ducis vidua ſuſceptum, vid. LAMB. *loc. cit.* Marchiae Miſnicae etiam Dominum, ſi Lamberto An. MLXXVIII. credendum (qvem tamen lo

VIII. EGBERTUS II. *Marchio Thuringia.*

cum cum SAGITTARIO *hiſt. Luſat.* §. *25.* corruptum judico) & Marchiae Luſaticae, ſecundum DODECHINUM *ap.* PISTOR. *T. I. Rer.-Germ. A. MLXXXIX.* Donaverat ea illum Henricus Imp.IV. vivente adhuc patre,in caſum mortis, meritis paternis motus. Ita enim LAMBERTUS *A. MLXVIII. Marchiam adhuc vivens acqviſiverat filio ſuo tenerrimae aetatis infantulo.* Non dubitamus vero, qvin Henricus, Egberto patre orbato & extra pubertatis annos conſtituto, conſilium ordinum provinciae adjunxerit, qvi nomine ſuo res Marchiae moderarentur. Interea tamen Marchionis tenera & Thuringiae gubernandae minus idonea aetas, Moguntino Pontifici, cui Henricus Imperator, divortium a Conjuge deſiderans, decimas Thuringiae promiſerat, Thuringiae turbandae conſilium ſuggerebat, nec eventus incepto deeſſe videbatur. Junctis enim infelici ſucceſſu armis, a Dedone I. Marchione Miſniae,cum Thuringis, qvod non ſine Saxoniae principum conſilio factum aſſerit URSPERG. *p. m.168.* (qvi qvod viduam Ottonis II. Marchionis defuncti duxerat, praedia etiam qvae Otto a diverſis dominis,cumprimis Moguntino Archiepiſcopo, vid. LAMB. An. MLXII. beneficii loco habuerat, nunc per conjugium ad ſe devoluta, armis,ab uxore inſtigatus, acqvirere ſtudebat) LAMBERT. An. MLXIX. ab Imperatore Heinrico IV. capta eſt brevi Thuringia univerſa, Dedo fugatus, omnibusqve poſſeſſionibus multatus, Thuringia vero ipſa decimas Moguntino ſolvere juſſa. Verum nec hoc ad obſeqvendum moti Thuringi, ſed potius caſtellorum exſtructione, qvae Saxoniae pariter ac Thuringiae ſubjugandae cauſa impoſuerat Henricus, magis incitati, conjunctis cum Saxonibus armis, ab Ottone Bavariae Duce, ducatu ſine ſua culpa ejecto, inſtigatis,

mu-

Digitized by Google

mutuis viribus, & Henrico ſuperioribus *An. MLXXIII.* bellum contra eum decernunt. Principes conſpirationis erant, *Egbertus Marchio, puer adhuc, infra militares annos conſtitutus, Dedo Marchio, & omni Marchione animoſior atqve implacatior, uxor ejus Adela*, LAMBERTUS *cit. loc.* Verum enim vero, bellum ſub initiis minus ſecunda ab Henrico fortuna geſtum, deſtructione tandem caſtellorum in Thuringia & Saxonia ac decimarum remiſſione *An. MLXXIV.* compoſitum, qvietem reddere videbatur. Vid. LAMBERTUS, MARIAN. SCOTUS, SIGEB. GEMBL. *ap.* PIST. *T. I.* hoc anno, *Fragmentum Ruperti Goslar. Carminis de bello hoc*, BRUNO *de Bello Sax. ap. Freher. T. I.* Sed mox Saxonibus deſtructione Palatii Harzeburgenſis pacta violantibus, recruduit anno ſeqvente, Saxonum caede ad Hohenburgum, & tam Saxoniae qvam Thuringiae devaſtationibus celebre, deditione tamen Saxonum & Thuringorum principum iterum finitum, MAR. SCOTUS *MLXXV.* Aſt nec haec pax coeteris fuit diuturnior, cum Henricus dedititios principes exilio multans, durius praeſidiis exſtructis, Thuringos pariter ac Saxones jugi impatientes, premeret. Magis hinc utriqve exacerbati, comperta cumprimis ejus in Miſniam cum Boëmiae Duce *An. MLXXVII.* expeditione, a Papa incitati, qvi divortium Imperatoris improbabat, ad arma redeunt, libertatem armis defenſuri. Egbertus interea armis nunc fere maturus, foedere etiam cum reliqvis junctus, ut tam gratiam referret Dedonis Miſniae Marchionis filio, ob operam, ante belli Saxonici initia, in Thuringia, contra Moguntini conſilia a patre praeſtitam, qvam etiam rei communi conſuleret, cum Marchiam Miſnenſem, mortuo Dedone, Boemo ab Imperatore donatam, audiret, copiis Saxonum adjunctis, Marchiam occupat, praeſidi-

ſidiumqve Boëmi ejicit. LAMBERTUS *p. 241.* Mutua interea inter Imperatorem & foederatos praelia commiſſa, qvae deſcribit MAR. SCOTUS *apud Piſtor.* ABBAS URSPERG. aliiqve. Rudolfus etiam Anti-Caeſar poenas perfidiae dans, praelio cadit An. MLXXX., cujus loco foederati Hermannum Lucelburgicum, Anno ſeqvente eligunt. Tandem pax de novo firmatur *An. MLXXXV.* Cum enim apud Perteſtadium CHRONOGR. SAX. vel Berebachium ABBATI URSPERGENSI, aliis Gerſtungam, utriusqve partis Praeſules conveniſſent, tam qvi Henrico qvam etiam Hermanno & Papae favebant, de juſtitia excommunicationis Henrici Imp. conſtituturi, Udo Hildeſienſis Epiſcopus, frater Conradus & Comes Thiedericus in Saxonum & Thuringorum ſuſpicionem veniunt, conſenſus cum Henrico Imperatore. Qvi cum obſides fidei dare nollent, Udo cum fratre fugatur, Thiedericus vero interficitur. Udo vindicaturus injuriam, ad Henricum, Fritzlariae tunc morantem, ſe recipit, Saxones ab Hermanno alienare & Henrico reconciliare promittens, ſi vetera jura iis confirmaret. Vid. ALBERICI CHR. CHRONOGR. SAX. h. a. Henricus promiſſum ſacramento firmat, Udo vero ad Saxones profectus, de Regis ſententia eos certiores reddit, qvi hoc facto, Hermanno relicto, gratiam Henrici amplectuntur, certantibus omnibus, cui Henricus regni recuperationem acceptam ferret. Archiepiſcopi & Epiſcopi fruſtra reclamant, Egbertus ipſe tot victoriis & longo belli uſu ferox, Hermanni imperium contemnere incipit, Saxones in propoſito confirmat, viam ſibi ad regnum, remoto Hermanno paraturus, BERTH. CONSTANT, *ap. Urſtiſ. p. 355.* Verum nec ſic ſtabilis fuit conventio, Imperatore pactis non ſtante, Egberto etiam Saxo-

Digitized by Google

xonum animos inſtigante. vid. ALBERICI *Chr. h. a.* MAR. SCOT. & CHRONOGR. SAX. Bellum itaqve eodem anno novis viribus reſuſcitatum. Henricus interea injuriae memor, qvam *An. MLXXXVIII.* Egbertus apud Merſeburgum intulerat, Marchiam Orientalem ei auferens, Henrico cuidam confert, DODECH. h. a. Verum, Egbertus ultioni intentus, Caeſarem, Glico caſtrum in Thuringia munitum obſidentem, cum exercitu ſuperveniens, magna caede data, fugat. DODECHINUS *cit. l.* Tandem ipſe Egbertus qvi teſte BERTHOLDO *An. MLXXXVIII.* de regno ſibi vindicando cogitabat, anno ſeqventi *MXC.* juxta aqvam, qvae dicitur Salicha, in molendino Eiſenbuttel interfectus, obiit, autore caedis Henrico, vid. ADDIT. *ad* LAMB. SCHAFFNAB. MONACHI ERPHORDI. ap. PIST. *T. I. h. a.* CHRON. STEDERBURG. *apud* MEIBOM. *T. II.* CHRON. BOTHONIS *pict. Brunſv. ap.* LEIBNIT. *T. III. h. a.* De ejus caede plura docet BERTOLDUS *cit. l.* qvi dolo Abbatiſſae Qvedlinburgenſis ſororis Henr. IV. interfectum refert, qvod tamen URSPERGENSIS in fideles Imperatoris rejicit: *Praedictus Eggibertus a qvibusdam Imperatoris fidelibus, in qvodam molendino, pauſandi gratia deprehenſus, turpiter occubuit.* Pluribus refert SPANGENBERGIUS *Chr. Mansf. pag. 330.* Terrae itaqve hereditariae, Egberto ſine herede mortuo, Marchia ſcilicet Saxonica, & Brunſvicenſe dominium & alia, ad ſororem Gertrudem jure ſanguinis pervenerunt; Ita enim CHRON. STADWEGII *ap.* LEIBN. *T. III. p. 269.* *Ecbertus Brunſchw wart geſchlagen van den Hogbères des Rykes. Do behelt syn süſter Gertrud de Herſchop to Brunſchw, und nam to manne Greven Hinrike de Pinguis heit, Otten ſone van Northeime de geweſen hadde Hertoge to Saſſen.* Thuringia vero aliam

am experta eſt mutationem, qvam ſeqventi paragrapho explicabimus.

§. XXIII.

Atqve hic eſt finis Marchionatus Thuringici, qvi mortuo nunc Egberto, ad dies vitæ conceſſus, ad Imperatorem rediit. Cujus itaqve imperio poſt haec ſubjecerit Thuringos, de eo variae variorum ſunt ſententiae. Alii, Thuringiae Principatum, ad tempus usqve qvo Lotharius Ludovicum Thuringiae Comitem eo donavit, ab Imperatoribus ſibi retentum fuiſſe, ſtatuunt, neminiqve conceſſum, inter qvos *Auctor Defenſ. Saxon. in cauſa Erfurt. & Sagittarius in Epiſtola de Antiq. Statu Thur. p.57.* ALBINUS etiam ipſe *Chron. Miſn.* p. 410. hujus eſt ſententiae: Daß nach Egberti II. Todt Henricus V. die beyden Marcken / Tyringen und Sachſen eine zeitlang inne gehabt/ biß ſie Hertzog Luder zu Sachſen an ſich bracht/ wegen ſeiner Heyrath. Dieſer als er Käyſer worden/ und keine Erben gehabt hat/ damit ſeinen Eydam einen Graff Ludwigen unter den Titul des Landgraffens belehnt/ und ſammt dem Wapen confirmirt. Alii jam Ludovico Barbato Thuringiae principatum commiſſum fuiſſe, a filio etiam Ludovico Saltatore adminiſtratum, ita tamen ut Ludovicus III. hereditario jure primus imperaret, vid. *Ludov. Germ. Princ. Cap. de Duc. Sax. p.95.* Sed contradicit Marchionum in Thuringia poteſtas, qvamvis ſuſpicandi ratio ſit, Barbati filio jam tum in Thuringia potenti, Imperatorem Henricum IV. poſt Egberti caedem, ejus imperium fuiſſe commiſſurum, niſi injuſta Friderici Palatini caedes, & criminis hujus juſta vindicta prohibuiſſet. Verum alii qvi rectius ſentiunt, poſt Egberti caedem, cum dignitate Comitis Provinciae, Thu-

Digitized by Google

Thuringiae praefectum credunt Hermannum Winzenburgium, hiſtoricorum & diplomatum teſtimoniis confirmati. Ipſe SAGITTARIUS poſteriore *Epiſtolae* parte, *p.* 60. ſententiam mutans, in ſuſpicionem ſe veniſſe ſcribit, Hermannum hunc, Comitatum qvendam Provincialem Thuringiae, neqvaqvam tamen tam illuſtrem, qvam ille fuit, qvi Ludovico traditus, tenuiſſe. Atqve haec Sagittarii conjectura TENTZELIO *in ſuppl. Hiſt. Goth. p. 447.* adeo placet, ut qvoties illam cogitet, eo magis illam ſibi probari aſſerat. Verum, nec ſic qvidem uterqve ſibi ſatis conſtare videtur, ſed ad Marchionatum Thuringicum relabitur, ab Hermanno poſſeſſum. Ita enim SAGITTARIUS p. 64. *Deniqve cogitandum etiam relinqvo, harum antiqvitatum Studioſis, num Hermannus etiam Thuringiae fuerit Marchio, qvod Chronici Pegavienſis autor videtur aſſerere, qvae res conſiderationem accurratiorem exigit.* Hanc Sagittarii dubiam ſententiam dein amplecti videtur TENTZEL. *l. c. p. 349. Prolixius hic eſt Sagittarius noſter, cujus aſſerta jam non vacat inqvirere. Sub finem tradit Hermannum iſtum Thuringiae fuiſſe Marchionem. Fortaſſe igitur Lotharius Imperator in Comitiis Qvedlinburgenſibus A.* CIↃCXXX. *ex juſto in Hermannum odio Marchionatum Thuringiae plane ſuſtulit, & in Landgraviatum Ludovico genero collatum convertit.* Verum, qvod pace virorum in Thuringica hiſtoria peritiſſimorum dixerim, aliter mihi res videtur, & Marchionis cognomen Hermanno tributum, non de Thuringico Marchionatu, ſed Brandenburgenſi capiendum eſſe §. XXIV. demonſtrabit. Interea Hermannum hunc, non tantum Landgravium Thuringiae credimus, ſed addimus etiam adhuc Hermannum. I. Patrem, eadem Comitis Provincialis Thuringiae dignitate, conſpicuum, moti Diplomatibus Henrici Leonis, de A. MCLXVIII. Adelberti Archiepiſcopi Moguntini

Digitized by Google

tini de MC. alioqve de MCLVII. qvae priusqvam adducamus, de origine & incrementis Comitatus Winzenburgici, qvaedam commentabimur.

§. XXIV.

Fuit hic Comitatus, in Hildeſienſis Epiſcopatus finibus poſitus, feudi vinculo eidem ſemper obſtrictus. Qvod, cum Dietericus, Udone Epiſcopo, ex Aslenſium Comitum ſtirpe, turbis maximis implicito, & Saxonicis principibus inviſo, diſſolvere cuperet, Henricus IV. Imperator, ut gratiam ob fidem ſibi praeſtitam referret Epiſcopo, Dietericum officii per legatum, additis etiam minis admonuit. Dietericus libertatis avidus, & foedere junctorum Saxoniae Principum contra Caeſarem, potentiae innixus, legatum Henrici occidit. Qvo facto, a Moguntino Pontifice qvi partes Henrici tum ſeqvebatur, diris devotus, ab ipſo etiam Caeſare proſcriptus, in Bavariam odioſus omnibus ſeceſſit. Verum compoſita non ita longe poſt fuit proſcriptionis cauſa, & in gratiam Imperatoris, intercedentibus multis, ea conditione, ut fidem Epiſcopo debitam praeſtaret, receptus, rediit. Ipſi dein Epiſcopo affinitate junctus eſt, ducta ſorore Mathilde, Ellonis, Reinhuſani Dominii, & Gleichenſium caſtrorum, in duobus montibus, haud procul a Reinhuſio poſitorum, domini, filiam, cujus parte hereditatis, ſcilicet Reinhuſio in ſeqventibus temporibus auctus eſt. Vid. ABBATEM REINHUSANUM *ap.* LEIBN. *T. I. p. 703.* HEINECII *Antiq. Goslar p. 128.* Hujus ex Mathilde filius fuit HERMANNUS, Caſtri Winzenburgici conditor, & Monaſterii Reinhuſani inſtaurator, vid. cit. ABBAS REINHUS. cujus potentia, tam intra qvam extra Thuringorum fines, Henricus

HERMANNUS I. *Landgr. Thur.*

Digitized by Google

cus IV. motus, Egberto in Thuringia Marchione occiſo, Thuringiae praefecit, & Comitis provincialis titulo inſignivit. Ita enim Diploma Monaſterio Reinhuſano apud LEIBNIT. *cit. l.* datum ab Henrico Leone:

Notum eſſe volumus, qvod nos pro reverentia Dei atqve amiciſſimi noſtri Reinhardi, primi Abbatis Reinhuſani interventu, Coenobium in Reinhuſen cum omnibus pertinentiis ſuis, in noſtra Jurisdictione conſtitutum, in defenſionis noſtrae & heredum noſtrorum ſingulare munimentum recipimus, & omnia bona, qvae pia devotione ab Anteceſſoribus ſeu parentibus noſtris, vel aliis dein fidelibus - - - collata ſunt, vel in poſterum conferenda, - - - confirmamus - - - Centum videlicet Manſos, qvos HERMANNUS PROVINCIALIS COMES - - - obtulit, & (poſt multa alia,) dimidium manſum in Reinhuſen, qvem pro anima Rudolfi, mater Comitis Hermanni Junioris contulit &c. Haecce autem facta ſunt, Anno Dominicae Incarnationis MCLXVIII. IV. Non. Jun. Ind. XII. Henricus curiae protonotarius recognovit. HENRICUS DEI GRATIA DUX BAVARIE ET SAXONIE.

Mentionem hoc diploma facit duorum Hermannorum, patris ſcilicet & filii, ſub nomine Junioris, illumqve Comitem provincialem nominat. Eum enim ſub donatore centum manſorum intelligendum eſſe docet ABBAS REINHUSANUS *cit. l.* qvi expreſſe memorat, eum omnia, qvae in ejusdem villae Marcha, nihil inibi ſibi reſervantem, tradidiſ-

didiſſe Monaſterio, & Hermannum filium plus nocuiſſe Monaſterio qvam profuiſſe. Confirmat ſententiam Diploma ab eodem ibidem allegatum, qvo Adilbertus Moguntinus Pontifex fundationem Reinhuſani Monaſterii approbat, in qvo idem Hermannus PATRIAE COMES nominatur, qvod idem cum nomine Provincialis Comitis eſſe notat LEIBNITIUS *T. III. Præfat. Num. XLIII.* imo expreſſe aſſerit, Winzenburgios jam ante Ludovicum Landgravios Thuringiae fuiſſe, *Introduct. T. II. pag. 15.* Verba Diplomatis ita ſe habent:

In nomine Sanctæ & individuae Trinitatis, Adilbertus Moguntinus Archiepiſcopus, & ſedis Apoſtolicae legatus - - Notum eſſe volumus, qvod HERMANNUS PATRIAE COMES, ſuis heredibus adſtipulantibus, videlicet Udone Hildenesheimenſe Epiſcopo, & fratre ſuo Conrado Comite, Coenobium Monaſticae profeſſionis, in Reinehuſen ſuo patrimonio, cum omnibus ſuis inibi pertinentiis in honore S. Trinitatis & B. Mariae perpetuae Virginis, Sanctiqve Chriſtophori Martyris dotavit, & Reinhardum Epiſcopum ipſum dedicare a nobis impetravit &c. Hujus rei teſtes ſunt; Reinhardus Halberſtadienſis Epiſcopus: Thitmarus Helmwardishuſienſis Abbas, Reimboldus jam dictae Eccleſiae praepoſitus, Godeſchalcus praepoſitus Sanctae Mariae in Campo, Henricus Canonicus Moguntinus & Capellanus; HERIMANNUS PATRIAE COMES, qvi & fundator,

&

Digitized by Google

& filii ejus duo, Henricus & Herimannus pueri. Dat. in jam dicto coenobio Reinhuſ. III. Non. Decemb. Die conſecrationis ejusdem. Acta ſunt haec Anno Dominicae incarnationis MC. Ind. XII. ADELBERTUS DEI GRA. MOGONTIENSIS ARCHIEPISCOPUS.

Eodem nomine eum legimus in diplomate Conradi III. dato eidem Monaſterio, An. MCXLIII. *ib. p. 706.* Nec novum hoc videatur, Patriae Comitem idem eſſe ac Provincialis Comes, cum eos etiam Regionarios Comites diplomata nominent, qvod *Charta Erneſti* Abbatis Reinhardsbomenſis de Herenhova apud TENTZELIUM *Supp. hiſt. Goth. p. 462.* & aliud diploma ab *Autore defenſionis Sax. in cauſa Erfurt.* adductum, *p. 8.* probat. Qvamvis enim ſcrupulum movere poſſet Thuringiae vocis omiſſio, in cauſa tamen partim eſt, uti ex diplomate judicamus, injuria temporis, qvae forſan lacunam fecit, partim genius Seculi, saepiſſime nomina regionum omittens. vid. TENTZEL. *Suppl. hiſt. Goth. p. 448.* Non alium inde qvam Thuringiae Landgraviatum intelligi poſſe judico, qvod nullius tum temporis in hiſce finibus, mentionem faciant Scriptores, Winzenburgici etiam caſtri & aliarum Hermanni ditionum Thuringiae vicinitas firmet, cumprimis, cum filium ejus Hermannum II. eodem nomine, Thuringiae, ut mox demonſtrabimus, praefuiſſe certiſſimus. Verum, ne qvam relinqvamus dubitandi rationem, adducemus duo diplomata, qvibus Ludovicus etiam, qvem ſecundum vulgo nominant Comitem Provincialem, COMES PATER SEU COMES PATRIAE dicitur. Diſcimus praeterea ex iisdem, Ludovicum hunc, Conventui Principum, Francofurti MCXLVII. ad eligen-

Digitized by Google

dum Succeſſorem Conrado III. vivo, teſte Protocollo Monaſterii Corbejenſis, qvod exhibet PAULLINI *Hiſt. Virgin. Collegii Visbecenſis p. 96.* & maturandam expeditionem ſacram unice indicto, adfuiſſe, certo argumento, translati in eum, cum Principatu, juris, ſuffragium in electione & Comitiis dicendi. Notamus etiam, Conradum III. Imperatorem ibi ſe nominare Secundum, qvod & reperimus in alio, allegato, a KNAUTIO *Antiq. Princ. Anhalt. p. 53.* qvamvis in Sigillo diplomati ſubjecto, Tertius dicatur. Nec minus argumentum praebent, exercitae illo Seculo ab Imperatore Jurisdictionis in Clericos, demandata ab illo Abbati Corbejenſi, Monaſteriorum Visbeccenſis & Kemnadenſis Reformatio, in hiſce diplomatibus. Diverſum certe plane fuit ſeculis inſeqventibus, aucta Pontificum poteſtate, in Reformatione illa, qvam Bursfeldenſem nominant, qva Monaſteriorum reformationes ſola autoritate Legati Pontificis, Cardinalis Cuſae, in Concilio Magdeburgenſi, per Thuringiam, Saxoniam, & Miſniam conſtitutae ſunt, docente Bulla allegata a BUSCHIO *de reformationibus Monaſter. L. IV.* c. 2. Qvamvis enim Principum harum regionum conſenſus, ab illis, qvibus Reformatio haec commiſſa erat, expeteretur, illud tamen ideo tantum factum, ne reformandi, potentiam Principum metuentes, illis reſiſterent, vid: Mandatum Wilhelmi Landgravii Thuring. & Miſn. ad omnia ſuae ditionis Monaſteria, dat. Erfordiae Dominica poſt Ægidii, A. MCCCCLI. ap. BUSCHIUM *cit. l.* Sed ut ad literas noſtras redeamus; primas exhibet SCHATENIUS *Annal. Paderborn. P. I. p. 770.* & continent Donationem Conradi III. Monaſteriorum, Kemnadenſis & Visbeccenſis, Abbatiae Corbejenſi. Ita vero ſe habent.

In

In nomine Sanctae & individuae Trinitatis. Conradus divina favente Clementia Romanorum Rex ſecundus. Principalis dignitatis munificentiam decet, bene de Republica merentibus praemia rependere, & per congruos honorum gradus provectos ceteris in exemplum, & tanqvam bonae ſpei ſignum proponere, ut tam hi ſui laboris emolumenta ſine fine manſura incipiant, qvam illi a ſimili mercedis gratia ſeſe non fraudandos intelligant. Qvo circa noverit omnium fidelium noſtrorum, tam futuri qvam praeſentis temporis, induſtria, qvod Nos, propitia Serenitate, fidem, labores, & conſtantiam fideliſſimi noſtri nobisqve cariſſimi Wiboldi Corbejenſis Abbatis, intuentes, tradidimus in perpetuum Corbejenſi Monaſterio, & eidem, qvi nunc divina vocatione, & communi atqve concordi Fratrum electione praeeſt, Abbati ſcilicet Wiboldo, nec non cunctis ſucceſſoribus ipſius, auctoritate in aeternum valitura, duo feminarum Monaſteria Keminadi videlicet atqve Visbecke, & de noſtro atqve Regni jure, per manum Herimanni Palatini Comitis de Rheno, qvem adhoc rite peragendum adſumſeramus Advocatum, tranſegimus & firmavimus ſuper reliqvias corporis S. Viti Martyris, per aureum donationis noſtrae annulum, in poteſtatem & jus atqve dominationem Corbejenſis Monaſterii, in manum praedicti Abbatis Wiboldi, & Adelberti

Mar-

Marchionis de Brandenburch, qvi vice Herimanni Comitis de Winzenburch, Corbejenſis Monaſterii Advocati, eandem donationem noſtram, ſeu tranſactionem, ſuſcipiebat, ita videlicet, ut Corbejenſe Monaſterium duo praenominata Monaſteria, Keminade ſcilicet & Visbicke, cum omnibus praediis, ſilvis, & aqvis, tam foris qvam intus ad ipſa loca pertinentibus, habeat, poſſideat, ordinet, utatur, & Servet, ſicut tenet ſub ſuo regimine, jure videlicet proprietario, tres Abbatiolas, qvae fundator ejusdem novae Corbejae Luthewicus Pius, Magni Caroli filius,ad eandem Corbejam contulit, ſcilicet Eresburch, nobile qvondam Saxoniae caſtrum, nec non Meppiam & Visbicke: Sane ad praefata duo loca neqve militia, neqve ullum ſervitium nobis debeatur. Et qvoniam Corbejenſe Monaſterio tam in militia, qvam in ſervitio ad honorem Regni & defenſionem Sanctae Eccleſiae dignitas collata eſt, Nos judicio principum ad Coronae noſtrae augmentum, ſicut praeſcriptum eſt, manere decernimus. Primam judicii ſententiam dedit Burchardus, Argentinenſis Epiſcopus, qvam ſecutus eſt Adelbero, Trevirenſis Archiepiſcopus Anſelmus, Havelbergenſis Epiſcopus, Heinricus Leodienſis Epiſcopus, Sifridus Wirzburgenſis Electus, Frithericus Dux Sueviae & Alſatiae, Herimannus Palatinus Comes de Rheno, Cunradus Dux de Ceringa,

ga,

Digitized by Google

ga, Cunradus Marchio de Witin, Adelbertus Marchio de Brandenburch, Otto, filius ipſius aeqve Marchio, Herimannus filius ejusdem Adelberti Marchionis, LUTHEWICUS COMES PATER DE THURINGIA, Herimannus Marchio de Bada, Wernerus Comes de Bathen, Uthelricus Comes de Horninga, Heinricus Comes de Cazzenelnbogen, Marqvardus, Sibodo, Theodericus Comes de Montbeliard, & alii plures, qvi tunc affuere. Hoc qvoqve notum eſſe volumus, qvod Venerabilis Pater noſter Eugenius, Sanctae Romanae Eccleſiae ſummus Pontifex, freqventi Nos ammonitione tam per ſuos, qvam per noſtros Legatos, hortatus eſt, ut monaſteria feminarum, qvae noſtrae ditioni & ordinationi in Regno noſtro ſpecialiter pertinent, in qvibus divina religio penitus dilapſa eſt, regulare & reformare dignaremur. Et qvoniam ſoepe nominata Monaſteria, Keminada & Visbike, non tam Monaſteria, ſed omnibus praeteriuntibus viam in peccatis, communia, corrigi poſt multos labores non potuerunt, & Corbejenſi Monaſterio vicina ſunt, tam ad correctionem, qvam in proprietatem inibi contradidimus, nullo reclamante, niſi ſanctae regulae inimicus & pudicitiae hoſtis fuerit inventus. Auctoritate vero noſtra Regia praefatis duabus cellis, Keminade & Visbicke, damus, ac decreto in perpetuum valituro confirmamus eandem libertatem,

I qvam

qvam habet Corbejenſe Monaſterium, ſcilicet Praefecturam urbis, qvae vulgo dicitur Burchbahn, ea videlicet privilegii ratione, ut nullus Dux, nullus Marchio, nullus Comes, nullus Advocatus poteſtatem habeat exercendi judicium in atrio praedictarum Eccleſiarum, ſed qvidqvid praeter jus & aeqvum a famulis, qvi tam Abbati, qvam Congregationi obſeqvio qvotidiano deſerviunt, commiſſum fuerit, ab Abbate, vel ab eo, cui ipſe mandaverit, corrigatur. Et ut haec omnia rata & inconvulſiva in perpetuum habeantur, praeceptum hoc conſcribi, & imaginis noſtrae impreſſione inſigniri juſſimus. Ego Arnoldus Cancellarius vice Heinrici, Moguntini Archiepiſcopi & Archi-Cancellarii recognovi. Actum anno Dominicae Incarnationis MCXLVII. Indictione X. anno vero Domini Counradi Secundi Regis Invictiſſimi IX. Dat. Franckenevord in Chriſto feliciter. Amen.

Alterum, qvod ſpecialem Donationem Kemnadenſis Monaſterii continet, ex Avtographo, qvemadmodum & primum recenſuit PAULLINI HIST. VIRGIN. *Visbecc. p. 60.* Datum eſt eodem anno, die, loco, qvo prius eadem qve fere habet cum priore, ſi pauca excipias, de ſervitio ob hanc donationem a Corbejenſi Monaſterio Regno exibendo, & de Advocatia Kemnadenſi, qvam Henricus Leo huc usqve ab Imperio tenuerat, Abbati Corbejenſi donata. Interea iidem teſtes recenſetur: *Burchardus Argentinenſis &c.*

LU-

Digitized by Google

LUTHEWICUS COMES PATER DE THURINGIA. &c.

§. XXV.

POſt hujus Hermanni in Bavariam, poſtqvam Reinhuſani Monaſterii curam aliqvamdiu geſſerat, diſceſſum, unde non rediiſſe memorat ABBAS REINHUSANUS *cit. l.* Hermannus filius cum fratre Henrico, paternorum bonorum heres relictus eſt. Henricus, immatura & miſera morte defunctus, reliqvit filios, Henricum qvi de Aslo dicitur ALBERTO STADENSI, & Hermannum. Utriusqve tam Henrici qvam Hermanni, celebre eſt nomen inter ſcriptores, uterqve enim in contentione Henrici Leonis de Comitatu Stadenſi, promiſſo matri ſuae a Bremenſi Archiepiſcopo Alberone, poſt mortem Rudolphi, Judex datus eſt, teſte ALB. STAD. *p. 275. Auditores aderant Thietmarus Verdenſis Epiſcopus; Albertus Marchio,* COMES HERMANNUS DE WINCEBERCH, *& frater ſuus & magna multitudo militum.* In Diplomate de *An. MCXLV.* apud PAULLINI *de pagis*, inter Teſtes nominatur *Hermannus Comes de Winzenburg, & frater ejus Henricus.* In literis Conradi III. Imper. qvo Monaſterium Reinhuſanum a functione publica & vectigalibus Regni liberum pronunciat, Dat. ap. Hersfeldam MCXLIV. XVII. Kal. Nov. inter Teſtes nominantur: *Adilbertus Marchio de Brandenburg*, COMES HERIMANNUS DE WINZENBURG *& frater ejus H. nricus, Ludovicus Landgravius de Tyring. ap. Leibn. T. I. p. 706.* Fuit vero Hermannus, tam Corbejenſis qvam Gernrodenſis Monaſterii Advocatus. De eo enim intelligo Diplomata, exule patruo Hermanno II., data. Qvamvis eum LETZNERUS

Chron. Daſſel. cap. 17. Daſſelienſem Comitem faciat, Wintzenburgicum ideo dictum a vulgo, qvod apud affinem in caſtro Winceburgico verſaretur. Nec hæc a veritate diſſimilis forſan eſſet ſententia, niſi Diplomatum ſubſcriptio, qvibus expreſſe Comes de Wincenberch dicitur, reſiſteret. Gernrodenſem Advocatum nominant, literae permutationis certorum bonorum inter Liutgardim Gandersheimenſem Abbatiſſam & Hermannum, dat. MCXLVIII. Ind. XII. verbis: *praeſidente Bernardo Epiſcopo Hildeſenheim, Arnoldo Cancellario Regni, Advocato Eccleſiae Noſtrae eodem Herimanno.* ap. LEIBN. *T. II. p. 378.* Corbejenſis Abbatiae Advocatus fuit, teſte Diplomate allegato Donationis Monaſterii Visbeccenſis § praecedente. Verum, ut redeamus ad Hermannum noſtrum, qvem II. nominamus Hermanni I. filium, hic, potentia inter vicinos nemini ſecundus, tantam Henrici V. Imperatoris gratiam ſibi comparavit, ut maximis Imperii negotiis adhibitus, patris exemplo, Thuringiae etiam, teſte DODECHINO *pag. 471.* & ENGELSHUSIO *pag. 223.* cum Comitis Provincialis dignitate praeficeretur. Hoc enim docet verbis expreſſis ALBERTUS STADENSIS, qvi *p. 275. Collectionis Boeclerianae ſive Schilterianae*, ita loqvitur: *Adelheidis nupſit Ludevico, & genuit ſecundum Ludovicum, qvi a Lothario Rege impetravit* PROVINCIAE COMITATUM IN THURINGIA, *cum eo per ſententiam privatus eſſet Hermannus de Winzenborg.* ENGELSHUSIUS conſentit *p. m. 1099. ap.* LEIBNIT. *T. II. Ipſe etiam fecit primum Landgravium Thuringiae Ludovicum, cujus pater conſtruxit cœnobium Regnsborne; Nam antea terra Thuringorum fuit ſub Comite de Winzingeborg*, eademqve habet *in vitis Imperatorum, ex Domo Brunſvicenſi p. m. 60. Antiq. Brunſv.* MADERI. Idem facit CHRON. MONTIS SEREN. *Burchardus de Luckenem Comes*

HERMANNUS II. *Landgr. Thur.*

Eni-

Digitized by Google

Friſonum a militibus Domini ſui, voluntate ipſius in qvodam Coemeterio occiſus eſt. Hujus perfidiae vindex Luderus Rex Wincenburg caſtrum ejus fregit, & Comitatum ipſius dedit Ludovico dicto de Thuringia. A. MCXXX. CHRON: GOZECENSE *p. 239. Edit. Mader: Annus qvartus Lotharii Regis computatur, cum generalis curia Qvedlinburg in Pentecoſte celebratur. Hic Hermannus de Winziburg provinciali honoribus, dignitatibus, principum judicio, abdicatur, Wintziburg obſidetur, capitur, incenditur, funditus ſubvertitur. Cauſa fuiſſe dicitur, qvia Burchardum de* Luckem/ *regis qvidem conſiliarium, hominem vero ſuum, pro cujusdam caſtri extructione fraude circumvenerit, & fide violata occiderit. Cujus* PRINCIPATU *Comes Ludovicus ſublimatur, qvippe qvi Regi, ut fidelis, ut prudens, cariſſimus habebatur. Sed & reginae propinqvus fuiſſe narratur.* Ipſe etiam Hermannus, in ſubſcriptione *Diplomatis*, qvo Lotharius Imperator confirmat venditionem curtis Abbenrod, in pago Hartingo, Gerhardo de Lochtenem, a Friderico Palatino de Putelendorff, cum conſenſu Agnetis uxoris ſuae factam, *Dat. Id. Jun. Anno incarnationis Dominicae MCXXIX. Ind. VII. An. II. regni Lotharii III. Rom. Regis IV. Goslariae:* Hujus rei teſtes ſunt. *Archiepiſcopi, Moguntinus Adelbertus, Adelbertus Bremenſis &c. de Laicis: Fredericus Palatinus Comes de Someriſchenborg,* HERMANNUS LANDGRAVIUS, *Conradus Marchio, Adelbertus Marchio, Comes Sifridus de Homborg, Udo, Ludewicus, Conradus de Plötzke &c.* apud MADERUM *Antiqvit. Brunſv. p. 227.* Non vero hic obſtat omiſſa Thuringiae mentio, qvia tunc ejusmodi praeteritio provinciarum ſolennis erat, vid. TENTZELII *Hiſt. Goth. ſuppl. II. p. 448.* Ita Hermannum in eodem Diplomate antecedit Fredericus Palatinus Comes de Someriſchenborg, ſeqvitur Conradus Marchio, nemo vero negabit, illum Saxoniae Palatinum, hunc Miſniae Marchionem fuiſſe.

Addamus adhuc DODECHINI locum p. *471. ap.* PISTOR. *T. I. Scr. Rer. germ. Rex Comitatum ipſius dedit Ludewico praedicto de Thuringia.* Et CHRONOGRAPHI SAX. *A. MCXXX. Burchardus de Lukenem Comes Freſonum, in qvodam cimeterio a militibus Domini ſui, ſicut voluntas ipſius fuerat, inſidioſe circumventus, infideliter eſt interemptus. Hujus perfidiae vindex fuit Lotharius Rex, qvi urbem illius Winzenburg dictam obſedit & fregit & Comitatum ipſius dedit Ludevico praedicto de Thuringia.* Haec itaqve Scriptorum ejusdem temporis loca, de Comitatu Winzenburgico, vel de bonis Hermanni hereditariis per Thuringiam ad Ludovicum Comitem translatis, interpretari, cum BUCELINO *Annal. Germ.* A. MCXXX. & SPANGENBERGIO *Chron. Manſ.* h. a. & *Chron. Qverfurt. L. II. cap. 29. & 42.* non video, qva ratione ac fundamento id fieri poſſit. Winzenburgicum enim Comitatum ad Ludovicum translatum fuiſſe, dubitat SAGITTAR. *Epiſt. de antiq. ſtat. Thur. p. 63.* Imo CRANTZIUS *L. VI. Sax. c. XI. & L. VI. Metrop. Cap. 21.* contrarium aſſerit, qvando Comitatum hunc, Hildeſienſi Eccleſiae conjunctum refert. Clarius vero rem explicat *Autor* ANN. HILDES. *ap.* LEIB. *T. II. p. 747.* qvi eo tempore, permittente Lothario Imperatore, Comitatum, ad Epiſcopum Hildeſienſem Bernwardum, perveniſſe, expreſſis verbis docet. Eadem vid. in REUTELII Chron. Hildesh. ap. PAULLIN. Synt. R. G. p 88. Ad bona per Thuringiam hereditaria qvod attinet, non dubito, qvin ea fratris Hermanni filiis, qvi in fide erga Imperium perſtiterant, Lotharius permiſerit, eaqve, mortuis illis, cum in patriam rediret Hermannus A. MCL. cum reliqvo Comitatu receperit, vid. §. XXIV. ac adeo nec haec ad Ludovicum perveniſſe. Pro certo itaqve habemus ex ALBERTI STAD. coeterorumqve verbis, Hermannum Comitis Provincialis, ſ. Landgra-

vii honore & dignitate principum judicio exutum, eoqve Principatu, uti Chronicon Gozecenſe memorat, Ludovicum ſublimatum fuiſſe, ita qvidem, explicante Sagittario, *ut jus ſupremae Jurisdictionis per Thuringiam impetraret, ac reliqvorum Comitum ſorti exemtus, in Principum dignitatem poteſtatemqve, ritu ſolenni eveheretur.* Coeterum Palatinatum Saxonicum Hermannum II. Winzenburgicum tenuiſſe etiam, docet ex Chronico Gozecenſi, & Annalibus Thuringiae, REINECCIUS, *in editione Excerptorum Chronici Gozecenſis, Witekindo adjuncta,* ſed reſiſtentibus Conrado & Alberto Comitibus, qvibus cum faciebat Lotharius Saxoniae Dux, dein Imperator, ab eodem ejectum, ac tandem a Friderico I. Imperatore illum in Thuringiae Landgravium Hermannum MCLXXXI. translatum fuiſſe. Idem tradit SPANGENBERGIUS *Chron. Qverfurtenſi, L. II. Cap. XXIX. & XLII.* Lotharium bona Thuringica Hermanno A. MCXXX. proſcripto, ademta, dediſſe Ludovico Provinciali Comiti, Palatinatum vero Conrado fratri ſuo. Qvem ſecutus videtur ALBINUS *Chron. Miſn. p. 188.* Hermannum, deficientibus Fridericis e Comitum Wetinenſium ſtirpe, Saxoniae Comitibus Palatinis, Comitatum Saxoniae Palatinum tenuiſſe, aſſerens. Verum, qva fide haec a viris Patriæ antiqvitatum alioqvin peritiſſimis, prolata ſint ignoro. Certe, ejusmodi nihil in Chronico Gozecenſi reperitur, nec ejusdem aevi Scriptores memorant, niſi ex CHRONICI BIGAUGIENSIS verbis; *A. MCXV. Hinricus Rex inſolens, Principes Saxoniae infeſtabat graviter, privavitqve dignitatibus ſuis Epiſcopum Halberſtadenſem venerabilem Reinhardum, Comitem Palatinum de* Semmerskenborch/ *& Fridericum de* Arnsborch/ *ac Roduiſum Noremarchia potitum, ſubſtituitqve pro eis alios ſibi faventes;* colligere velimus, Henricum Friderico Comite

Pala-

Palatino tum ejecto, Palatinatum Hermanno tum ſibi fideli commendaſſe, illum vero inſecuto brevi poſt ad Welphisholtum Saxones inter & Henricum Imperatorem, proelio, a Lothario Saxonum Duce, victore, iterum ejectum, & Fridericum fuiſſe reſtitutum. Verum, nec ſic qvidem diuturna fuiſſet Palatinatus ab Hermanno poſſeſſio, reſtituto gratiae Regiae ante mortem, qvae A. MCXX. accidit, Friderico I. Palatino ex Sommerſenburgica ſtirpe vid. CHR. BIGAUG. & ABB. URSP. *p.m. 201.* Multo minus eadem ad A. MCXXX. qvo principum conſilio proſcriptus, continuata fuit, atqve Ludovici Provincialis Comitis fratri, ut Spangenbergius aſſerit, tunc permiſſus Palatinatus. Illo enim tempore, imo longe poſt, haec dignitas adhuc in familia hac perſtitit. Fridericus enim II. Palatinus Lothario Imper. inter paucos carus, qvem etiam A. MCXXIX. ad Comitia Brunſvicenſia comitatus, & poſt eum Adelbertus filius, cui teſte ALB. STAD. *p.m. 273.* Popponis Comitis de Henneberg filia ſociata fuit, in poſſeſſione ejusdem ſe invicem exceperunt, in qvorum poſteriore vero A. MCLXXVIII. defecit, titulo & dignitate, ad Henricum Leonem, fundo vero & agris, ad Magdeburgenſem Eccleſiam translatis. Qvicqvid ſit, MADERUS aliter ſtatuit, & qvae ſupra a Reineccio, de Hermanno, Comitatu Palatinatus Sax. donato, notata, adduximus, firmo non niti fundamento cenſet, *Praefat. Chron. Mont. Seren. p. 16.* ac potius de Miſnenſi Marchionatu, Wigberto Marchioni Luſatiae, & Hermanno Winzenburgico, ab Henrico V. Imperatore donato, intelligenda judicat ex verbis MONACHI PEGAVIENSIS *A. MCXXIII. Henricus Marchio junior obiit, pro qvo Imperator Henricus binos Marchiones conſtituit, Wigbertum qvendam praedivitem, & Hermannum de Winciborg, Adelbertus & Conradus*

Comi-

Digitized by Google

Comites de Saxonia, Ducis Lotharii, caeterorumqve Saxonum freti auxilio, illis pulſis, eorum invadunt loca & dignitates. Eadem habet *Epitomator ejus*, *Autor* CHRONICI BIGAUGIENSIS ab eodem Madero editi *pag. 256.* niſi qvod ex errore, loco Henrici, Wigbertum Juniorem, Wigberti Groicenſis & Luſatiae Marchionis filium ſubſtituendum ducat, cum tamen Wigbertus, vivo patre nullius adhuc Marchiae Dominus eſſet: *Hinricus Marchio junior obiit (forte erratur ut ſit Wicpertus Junior) pro qvo Hinricus Rex inſtituit Wicpertum Divitem & Hermannum de Wincborg.* Verum enim vero, qvod pace Viri in hiſtoriae Germanicæ antiqvitatibus peritisſimi dixerim, aliter mihi res videtur, nec de Marchionatu Miſnenſi, ſed potius Brandenburgenſi, hanc Marchionis dignitatem, qvam ex Monachi Pegavienſis & Bigaugienſis teſtimoniis, Wigberto & Hermanno collatam vidimus, intelligendam judico. Non negamus eqvidem Marchionatum Miſnenſem Wigberto donatum fuiſſe ab Henrico IV. Imo illud potius ſcriptorum auctoritate confirmati, aſſerimus. Henricus enim, clara Wigberti merita, in expeditione Italica, expugnatione Romae, periculi, qvod Imperatori mortem afferre potuiſſet, propulſatione, præſtita, vid. CHR. BIGAUGIENSE *p. 244.* penſaturus, Marchiam Miſnenſem, Dedoni I. Marchioni, ob rebellionis crimen abjudicatam, & jam antea Bohemiae Duci traditam, ei addixit; qva de re videndi LAMBERTUS ASCHAFNABURGENSIS & CONR. URSPERGENSIS ABBAS. Verum, praeterqvam qvod diu id factum ſit ante A. MCXXIII. & vivo adhuc Henrico I. Marchione Miſniae, Wigbertus etiam nunqvam plenum ejusdem dominium adeptus eſt, reſiſtente ſemper Henrico, Ilburgi Comite, Dedonis I. filio, cui Marchionatus, ob neceſſitudinem ac ſanguinis jura, debebatur.

Digitized by Google

tur. Imo Henricum I. ante obitum, iterum in poſſeſſionem ejus rediiſſe, ex iis patet, qvae ex vita Bennonis ab Emſero ſcripta, notavit ALBINUS *Chr. Miſn.* CHRON. BIGAUGIENSI etiam expreſſe dicitur Marchio Miſniæ p. 245. & ABBATI URSP. *Vir ſui temporis praepotentiſſimus in Saxonia:* A. MCIII. *Heinricus Marchio vir ſui temporis praepotentiſſimus in Saxonia obiit*, qvae clare demonſtrant, eum non exulem mortuum. Neqve minus Henrici II. jura, mortuo patre defendenda ſuſcepit Lotharius Comes Supplenburgicus, tum Saxoniae Dux, & poſthaec Imperator Auguſtus, qvi Marchionum Miſniae ſtirpi e Comitibus Wetinenſibus, ex animo bene cupiebat. Unde etiam Henricus memoratus Marchio Miſnenſis dicitur *Autori* CHRON. MONTIS SERENI *p. 3.* ac poſt ejus mortem, Marchiam ex ſanguinis jure ad Conradum deveniſſe. Videtur eqvidem ex COSMA PRAG. A. MCXXIII. Henricum Imperatorem V. tam ſuo qvam odio paterno, in Dedonis I. poſteros incitatum, A MCXXIII. id egiſſe, ut Marchiae poſſeſſionem, Wigbertus, qvem in gratiam iterum receperat, recuperaret, ſed impedivit illud, notante eodem, ne fieret, Lotharius Dux & reliqvi Saxonum principes, qvo ſua Conrado jura ſalva remanerent, unde & ſine dubio factum judico, ut Henricus II. qui A. MCXXIII. adhuc vivebat, in qvieta ejusdem poſſeſſione conſervaretur. COSMAE enim verba: *Jamqve eodem anno Marchionis Deda extrema ſtirpe fato extirpata Imperator &c.* de Henrici II. obitu accipere, ſi etiam haec Coſmae ipſius ſententia eſſet, atqve cum Monachi Pegavienſis & Chronici Bigaugienſis verbis ſupra adductis, conferre, inſignis certe erroris notam, ſi qvis faceret, vix effugeret. Sive enim Annum obitus MCXXIII, de Henrico I. ſive II. intelligas, utrumqve ſcriptorum repugnat autoritati. Ad Henricum

Digitized by Google

cum enim I. qvod attinet, Annum ejus obitus in annum circiter MCVI rejicit ALBINUS, ſed magis accurate tradit A. MCIV. CHRONOGR. SAXO, teſtis coaevus & omni exceptione major, verbis: AMCIV. *Henricus de Ilburg Marchio obiit.* Henricus vero II. A. MCXXVII. mortuus, qvod expreſſis verbis notat *Autor* CHRON. MONTIS SER. ejusqve ſimul ſucceſſorem in Marchia & reliqvis ejusdem terris, Conradum nominat. *A. MCXXVII. Henricus Marchio obiit, cujus morte in caſtro Kirchberg nunciata, cum eam ex luctu familiae Conradus Comes intellexiſſet, perſvaſis ſuis cuſtodibus dimiſſus & ad Luderum Regem profectus, interventu Richicae Reginae, cujus erat cognatus, Marchiam Miſnenſem obtinuit. Praeterea totius proprietatis Henrici Marchionis haeres effectus eſt.* Eadem habet *Wern.* HACKIUS, *in Chron. Comit. Templimont. ap.* PAULLIN. *Synt. R. Germ. p. m. 331.* Dictus vero fuit, ut obiter notemus, uterqve Henricus, de Ilburg, qvamvis & Henricus II. Miſnenſis Marchio nonnunqvam nominetur, uti legimus apud *Aut.* CHRONICI MONTIS SERENI, *A. MCXXVI. Diſſenſio inter Conradum Comitem de Wetin, & Henricum Miſnenſem Marchionem Cognatum ipſius qvi etiam de Ileburg dicebatur. Conf. Chr. Templimont. cit. l.* Qvod ex genio ejusdem ſeculi factum judico, qvo uſitatiſſimum fuit, a loco ſedis, omiſſo principatus nomine, adjecta tamen dignitatis voce, Principibus nomina dare. Ita Ottonem II. Marchionem Thuringicum, Comitem etiam Vinarienſem & Orlamundanum, Marchionem de Orlamunde dictum ſupra notavimus, cum tamen Orlamundanus Marchionatus nunqvam extiterit. Ducatus Buthinveldii mentionem faciunt ANNALES CORBEI. *ap.* PAULLINUM *Rer. Germ. Syntagm. A. DCCCXXXIII.* qvem ex *vita S. Ludgeri* explicat LEIBNIT. *T. II. Scr. Br. Praef. p. 26.* atqve inter praedia Witekindi, locum hujus nominis

fuiſſe, & ab eo habitatum, probat, cui dein Axioma Ducale, qvod Witekindo tributum, haeſerit. Ita etiam per errorem natum Marchionatum Stadenſem judicat, Stadenſi Comitatu & urbe, ſimul a Marchionibus Brandenburgenſibus poſſeſſa. Sic Fridericus Conradi III. Imp. filius, OTTONI DE S. BLASIO *ap.* URSTIS. ſaepiſſime dicitur Dux de Rotenburg. Ducatus Wormatienſis, Lovanienſis, qvoniam Brabantini Duces ſedes ſuas ibi habuerunt, mentionem faciunt ſcriptores. Atqve idem de Ducatu Franconico, cujus titulum gerit Epiſcopus Herbipolenſis, ſentiendum, erudite diſſerit *Pſeudonymus* AUGUSTINUS DE CANUSIO, im Bedencken von dem Hertzogthum Francken / *P. XIX. Bibl. Halenſ.* Hinc eſt, unde eadem ratione Henrici noſtri Marchiones de Ileburg dicti, tam ab urbe, qvam Comitatu univerſo Ilenburgenſi, qvi teſte *Chron. Templimont.* & CHRON. MONTIS SERENI *p. 202.* a Friderico Comite Ilenburgenſi, patruo ſuo Tiderico, Dedonis I. patri, ceſſus, ab eis tanqvam patrimonium verum poſſidebatur. Ex adductis itaqve ſatis probatum ſpero, Pegavienſis & Bigaugienſis Monachi loca de Miſnenſi Marchia intelligi non poſſe, atqve ideo nec Hermannum Wincenburgicum, hujus Marchiae principatum, tenuiſſe. Reſtat nunc, ut ſententiam noſtram, qvare de Brandenburgenſi capiamus, explicemus. Movet nos Henrici Junioris, e ſtirpe Comitum Stadenſium, Marchionis Brandenburgenſis, filii Udonis ſ. Ottonis II, annus mortis, qvi in A. MCXXIII. incidit. Ita enim CHRONOGR. SAXO. *A. MCXXIII. Henricus Marchio Juvenis veneficio interiit.* Eadem habet ALBERTUS STADENSIS A. MCXXIII. *Heinricus Marchio puer veneficio interiit.* Qvae cum optime conſpirent cum allegatis locis, non video qvae dubitandi ratio ſit, qvare

re non Brandenburgenſis Marchia commiſſa fuerit Hermanno, una cum Wigberto. Qvamvis enim Albertus & Conradus ope Lotharii Ducis Sax. eorum ditiones invaſerint, ſervavit tamen, ſi non Wigbertus, tamen Hermannus Marchiae hujus adminiſtrationem. Ea enim non prius excidiſſe, qvam principum judicio *An. MCXXX.* proſcriberetur, indicat ſatis CHRONOGR. SAXO, eodem tempore, Conrado de Plötzke ex Anhaltino ſtemmate, eam traditam aſſerens. Ita vero loqvitur: *Burchardus de Lukenem Comes Freſonum, in qvodam Cimeterio a militibus Domini ſui ſicut ipſius voluntas fuerat, inſidioſe circum ventus infideliter eſt interemptus. Hujus perfidiae vindex fuit Lotharius Rex, qvi urbem illius Wincenburg dictam obſedit & fregit, & Comitatum ipſius dedit Ludewico de Thuringia. Marchia etiam ſeptentrionalis tradita eſt Conrado filio Helperici de Plozeke.* Per Marchiam vero ſeptentrionalem Brandenburgenſem intelligi, tam ſupra probatum, qvam etiam ex CHRON. BIGAUG. patet *pag. 252. & 243.* ubi *Nortmarchia* dicitur. Eo enim demum anno, Conradum Marchiam illam accepiſſe ipſe etiam indicat ALB. STAD. *An. MCXXX. Principatum Henrici Marchionis Conradus filius avunculi ejus accepit.* Conſanguinitatem vero Conradi cum Henrico Marchione, ex parte matris Irmengardis, e genere Plozekenſi, pluribus tradit *Alb. Stad.* cit. l. Firmo itaqve non nituntur fundamento, qvae Vir Doctiſſimus SAGITTARIUS *Diſſ. de Marchionibus & Elect. Brandenb.* tradit, Henrico Juniore mortuo, Marchiam in familia Comitum Stadenſium permanſiſſe, §. X. *Udo II. fratrem habuit Rudolphum, filium autem Henricum, Rudolpho natus eſt Udo III. qvi ultimi ex hac Stadenſi familia Brandenburgenſes fuere Marchiones.* Sive enim Rudolphum I. Udonis II. fratrem ſpectemus, ſive Rudolphum II, neuter Marchiona-

tum poſſedit. Rudolphus enim I. ſtatim poſt Henricum Juniorem obiit MCXXIV. teſte CHRON. SAX. & ALB. STAD. & ſi Marchia ad eum perveniſſet poſt Henricum, ſine dubio eam ad Rudolphum II. tranſmiſiſſet. Sed illum etiam eam non tenuiſſe, partim ex iis patet qvae de Hermanno Winzenburgico & Conrado Plozcavienſi notavimus, partim qvod etiam Conrado MCXXXIII. mortuo in Italia, anno ſeqventi eam Albertus, cognomine Urſus, ex eodem qvo Conradus ſtemmate Anhaltino editus, acceperit, qvod CHRONOGR. SAXO An. MCXXXIV. his verbis docet: *Adelbertus Comes ſuccedit Cunrado Marchioni.* Deniqve Rudolphus etiam II., MCXLIV. demum mortuus, citato autori, tantum Comes dicitur: *Rotbulfus Comes de Staden interfectus eſt a transalbianis Saxonibus qvi Tedmarsgoi dicuntur*, cum tamen Marchiam, interea Conradum & Albertum tenuiſſe, probaverimus. Nec majore fide nituntur, WOLF. JUSTUS *in Geneal. Marcb. Brand.* & DAV. CHYTRAEUS, ab Henrico V. Imp. Ottoni diviti Marchiam Brandenburgenſem collatam ſcribentes, qvamvis non negemus, Ottonem Marchiae partem, Soltwedelenſem nimirum poſſediſſe, docente CRANTZ. *Wand. L. III. c. 17.* Multo minus vero audiendi ſunt BROTUFFIUS & BERTIUS *L. II. Rer. Germ.* aliiqve, qvi Albertum demum A. MCLI. Marchionatum accepiſſe ex teſtamento Pribizlai regis Brandenburgici, tradunt, ubi recentiores, qvi idem ſtatuunt *Chronographi Brandenburgenſis* a Madero editi, autoritate deceptos videtur, aliud docente, ut notavimus, Chronogr. Saxone, autore fide digno & coaevo. Verum haec notaſſe ſufficiant, qvae praeterire noluimus, cum nullibi adhuc memorata invenerimus. Supplenda enim hac ratione periodus Septem annorum adminiſtrationis Marchiae

Digitized by Google

chiae Brandenburgicae, ab anno MCXXIII. uſqve MCXXX. Nec minus inde patebit, qva ratione Hermannus noſter Marchio dicatur, illudqve non de Thuringico Marchionatu uti Sagittarius ſuſpicari voluit, intelligendum eſſe. Reſtat, ut de vita ejus, & fine Comitatus qvaedam addamus. Verſante inter Imperatorem Henricum V. & Papam, notiſſimo illo, de inveſtitura Epiſcoporum, ſeu ut ſcriptores ejusdem temporis loqvuntur, de Imperio & Sacerdotio diſſidio; Hermannus An. MCIX. cum Archiepiſcopo Colonienſi, Friderico, Brunone Trevirenſi, Cancellario Alberto, aliisqve principibus Regni, Romam *cum Pompa non parva miſſus eſt, inter Dominum Apoſtolicum & Regem concordiam facturus*, vid. ANNAL. HILDES. *ap.* LEIBNIT. *T. I, pag. 737.* Dein etiam Anno MCX. Imperatori erepta ſibi ſacrorum jura aegre ferenti, in expeditione in Italiam, qvam valido exercitu inſtructus ſuſceperat, una cum Udone Hildeſienſi, ſocius exſtitit, conſiliisqve ei præſto fuit, vid. ALB. STAD. *p. 259.* GOBELIN. PERS. Cujus expeditionis hiſtoriam accuratam, atqve in ea, tam aſſerti feliciter ab Henrico Imperatore juris Cæſarei, qvod longis ab hinc ſeculis Imperio competebat, circa Inveſtituram Epiſcoporum, qvam etiam fortiter ab Hermanno ad Imperii jurium defenſionem & emolumentum, ſine dubio haberemus, ſi Davidis Scoti, qvem Imperator, teſte ABB. URSPERG. *p.m. 194.* ut totius expeditionis ſeriem deſcriberet, libri tres, qvibus geſta horum annorum retulit, ad poſteros perveniſſent, vid. VOSS. *C. 2. de Hiſt. Lat. p. 394.* A. MCXXV. armata manu fratrem Epiſcopum Tiedericum Monaſterienſem, urbe expugnata, reſtituit Hermannus noſter, una cum Duce Lothario Sax. multaqve contulit ad reſtaurationem templi S. Paulo Sacri, durante ex-

expeditione combuſti, vid. BOTHONIS *Chron. pict. Brunſv.* & CHRON. *Hildesh.* & *Abbat. Monaſt. S. Michael. ap* LEIBN. *T. III. h. a.* & THEOD. ENGELSHUSII *Vitas Imperatorum ex Domo Brunſvicenſi p. m. 55. Antiq. Brunſv.* MADERI. Tandem fortunae adverſae vim expertus eſt, poſtqvam ſecunda nimis elatus, fidem Epiſcopo Hildeſienſi debitam praeſtare renuerat, ipſiusqve Imperatoris Lotharii legatum Burchardum de Luckenen, ab Imperatore miſſum, ut officii admoneret, avi exemplo, per ſuos interfici curaverat. DODECHINUS & CHRONOGRAPH. SAXO *A. MCXXX.* qvod MCXXXIII. factum, male Bothonis Chron. picturatum memorat. Imperator facinus deteſtans, convocato eodem anno principum conſilio Qvedlinburgi expeditionem decernit, & collecto exercitu poenas inobedientiae infert, caſtrum Wincenburgicum expugnat, & Blanckenburgenſi Comiti, donec principum ſententia de eo decerneretur, cuſtodiae committit, qvorum judicio proſcriptus, caſtrum dirutum, & ipſe patria ejectus eſt, vide §. XXIII. Provinciae Comitatum Thuringiae, cum utraqve Haſſia, Lotharius eodem tempore Ludovico Comiti donavit jure proprio atqve hereditario poſſidendum, *vid.* HIST. ERPHORD. ANONYMI DE LANDGR. DODECH. *ap. Piſt. T. I.* ENGELSHUSIUM *in Chron.* & autores ſupra allegatos. Qvo etiam Villarum regiarum, qvomodo priſtinis temporibus audiunt, Northuſii ac Mulhuſii curam, ab inſeqventibus dein Lantgraviis per multa ſecula exercitam, fuiſſe demandatam, nonnullis videtur. Nec minus Erfurtum tum temporis Ludovico ſubjectam, qvæ tamen in præjudicium Lantgraviorum, turbis, ſeqventibus temporibus enatis, multa ſibi vindicaverit privilegia ac libertates, multi credunt, vid. PFEFFERK. *p. 294.* De Landgraviatu Thuringiae univerſali ad Ludo-

Digitized by Google

Ludovicum tranſlato, vide plura apud *Aut. def. Sax. in cauſa Erfurt.* de qva materia & noſtris temporibus nonnulla publica autoritate edita meminimus. Winzenburgicus vero Comitatus, ad Epiſcopum Hildeſienſem Bernwardum, vi dominii directi Epiſcopatui competentis, ſecundum Leges feudales rediit, qvi caſtrum Wincenburgicum iterum aedificavit, vid. CHRON. HILDES. *p. 747.* Hermannus itaqve diu in exteris regionibus errans, exulem & inqvietam vitam duxit, donec Lothario mortuo, Hartwici Bremenſis Archiepiſcopi interceſſione, a Conrado Imperatore in gratiam MCL. receptus, fide Hildeſienſi Epiſcopo promiſſa, ditionibus eſt reſtitutus. Tabulas Conventionis exhibet HEINECCIUS *Antiq. Goslar. p. 129.* Suſpecta ideo videtur fides CHRON. HILDES. *& Abbat. Monaſt. S. Mich. citat. p. 791.* qvod Hermannum, a nemine ſuorum poſtea iterum viſum, refert. Ab hoc enim anno mentionem ejus iterum faciunt Diplomata, interqve ea Conradi III. Imp. Literae ſe exhibent, qvibus villas Wiſcheribe & Wivelinge, Eccleſiae S. Simonis & Judae, Goslariae, donat, *Dat. An. Dnice incarnat. M.C.L. regnante Cunrado Romanor. rege II. anno vero regni ejus XIII. indict. XIII. Fulde.* Teſtes: *Hartwicus Bremenſis archiep. Othelricus Halverſtatenſis epc. Sigefridus Wirzeburgenſis epc. Wibaldus Corbejenſis abbas. Comes Herimannus de Wincenburch. Ludewicus provincialis Comes thuringie. Comes poppo de Hennimberch & frater ejus Comes Bertolfus &c.* ap. HEINECC. *Antiq. Goslar. p. 146.* Patet inde eum non amplius vel Comitis Patriae, vel Landgravii, ſed Comitis tantum nomine inſigniri, tranſlato nimirum Landgraviatu jam diu in Ludovicum. Nihilominus tamen, primas, in ſubſcriptione ante Ludovicum Landgravium, partes tenet. Idqve uſu ſeculi factum judico, qvo ordinum qvidem, qvos claſſes vocant, minime vero

 regio-

regionum, in praecedendo, a ſtatibus Imperii Germanici, rationem habitam, certum eſt. Qvod recte obſervatum eſt, ab *Autore Annotationum* wegen des Leichtenbergiſchen Ranges/Staats-Cantz. *Tom. XIV.* Wie aber *Singuli* ſich *rangiret* in jeder *Claſſe* ſey unbekandt / und könnte ſeyn / daß die Jahre/das Alterthum / oder auch das *per merita* erworbene Anſehen *conſideriret* worden; daß ſie ſich aber mit der Zeit in eine gewiſſe Ordnung *rangiret* / davon würde niemand die *cauſam* und *normam adaeqvatam* errathen. Atqve hinc eſt, qvare & hoc loco Hermanno noſtro, Ludovicum primas conceſſiſſe partes judico, motum tam aetate, qvam reſpectu dignitatis, qvam ante eum in Thuringia geſſerat, imo & celebritate ſtemmatis Winzenburgici, qvamobrem & ſupra Hermanno patrueli, Ludovicum ceſſiſſe, ex literis allegatis *pag. 61.* retulimus. Verum, non diuturna fuit poſſeſſio recuperatae regionis, cum enim ſtuprum intuliſſet uxori cujusdam militis ſui, maritus in ultionem injuriae A. MCLIII. ENGELHUSIUS *Chr.* & HELMOLDUS *Chr. Slav.* MCLII. IV. Kl. Febr. ſecundum NECROLOG. HILDESIENSE *T. I.* LEIBNIT. *Script. 767.* & CHRONOGR. SAX. h. a. cum uxore Luichardi gravida, qvam teſte Engelhuſio, priore dimiſſa, duxerat, eum in lecto occidit, in caſtro Winzenburgico, a Bernardo Epiſcopo Hildeſienſi, cum uxore ſepultum. Fuit vero haec Lucardis, Rudolphi I. Stadenſis Comitis filia, primis votis Friderico Juniori Comiti Palatino Saxon. ſociata, ex qva teſte ALB. STAD. An. MCXLIV. ſuſcepit Albertum, qvi filiam Popponis de Hinnebergk duxerat, ſine prole mortuum. Secundas nuptias contraxit Lucardis, a marito ob conſangvinitatem dimiſſa, cum Erico Danorum Rege Lamm dicto. Tertias verò cum Hermanno Winzenburgico, cui tres filias peperit

Digitized by Google

rit, vid. ALB. STAD. *pag. m. 273.* Rem ordine referunt CHRONOGR. SAXO h. a. & BOTHO *in Chron. Brunſv. pictur: So holt eyn kronecke ut, wü de Greve van der Winſeborch by ſick hadde eynen Ridder ut Swawen, de was ut gereden, unde de Ridder hadde eyn ſchon erlick Wyff, de wonde upp dem Vorwarcke, dar ging de greve Hermen hen, und ſchaffete ſynen willen, an der erlicken fruwen dangk. De fruwe de moyde ſick ſere unde was drowich do der Ridder to hus kam, ſe clagede dat dem Ridder mit bedroveniſſe, de Ridder de wart tornich, unde ſchickede ſyn dingk, unde gingk an eynen morgen upp de Kemnade, dar de greve by ſyner fruwen lach, unde ſtack öne mit eynem Swerde dot. Do ſprack de Fruwe wat deyſtu nu: Jck hebbet under dem Gordel de dat wreken ſchal, unde me ſecht dat was ſchwanger, do ſtack he de fruwe ock dot, dat blod ſprangk an de muren, unde me ſecht dat warteken ſitte darnach. Unde de Ridder gingk do van der borch und ſatte ſick upp ſyn pert, unde nam de fruwen hinder ſick upp, unde reyt ut dem lande.* Ditiones itaqve Hermanni ſine maſculo herede mortui, & ultimi ex ſua gente, variis poſſeſſoribus ceſſerunt. Winzenburgenſis Comitatus cum caſtro Alevelt, tempore exilii ab Epiſcopo Hildeſienſi jam poſſeſſus, ad eundem, jure feudi, rediit. Statim enim illud a morte occupaſſe Bernwardum Epiſcopum e Rotenburgicis Comitibus, docet *Chron. pictur. Brunſv.* cit. l. *Do packede ſick Bodecke* (aliis Hödecke, a pileo dictus, *Chron. Luneburgicum T. III. ap. Leibnit.*) *de geyſt, to dem Biſchop Bernde to Hildeſem, unde ſede Plettner wack up, de Grevesſchop to Winſenborch de ſteyt los, de Biſchop wart rede, unde nam Winſenborch in, alſo kam de Keyſer unde gaff de Grevesſchop to dem ſtichte, to Hildeſem, alſe Winſenborch unde Alvelde.* Reliqva ſibi vindicavit Henricus Leo, ita enim *Chron. Slav.* HELMOLDI *L. II. Cap. VI. Acceſſerunt ei nihilominus multorum*

 prin-

Digitized by Google

principum poſſeſſiones, ut fuit Hermannus de Winzenburg, Sifridus de Hammenburg, Otto de Asle. Judicio Principum Imperi ea adjudicata fuiſſe, ſuſpicor ex *Cap. LXXIII.* ejusdem Helmoldi: *Circa idem tempus dierum illorum, occiſus eſt Hermannus Comes, in caſtro Wintzenborg, vir potens & magnarum pecuniarum, exortae ſunt contentiones inter Ducem noſtrum & Marchionem Adelbertum* (ſc. Urſum) *propter caſtra & facultates ejus, propter hos compacandos, denunciavit Rex Curiam apud Marcipolim civitatem Saxoniae, mandavitqve principibus ſolenniter adeſſe.* Atqve exinde Reinhuſani Monaſterii cura ceſſiſſe Henrico Leoni videtur, qvod in ſua jurisdictione conſtitutum, in dipl. ſupra *p. 59.* allegato, praedicat. Qva vero fide ALBINUS *p. 88. Chr. Miſn.* Conradum M. Miſniae Marchionem heredem Hermanni faciat, cum adductis ex Helmoldo non poſſum conciliare. Coeterum Comitatus Winzenburgicus, poſtqvam, aliqvot ſecula ab Hildeſienſibus Epiſcopis poſſeſſus fuerat, ad Brunſvicenſes Duces pervenit. Vid. PAULLINI *Hiſt. Virg. Colleg. Visbecc. pag. 130.* Plura ſi qvis ſcire velit de hocce comitatu, cui paruere oppida Alfeldia & Gronau, cum praefectura ſua, & alia dicta Freden, in qvo etiam multi nobilium caſtra ſua habuerunt, ut Steinbergii, Bodenburgii, Stockii, Rhedenii &c. adeat LEUCKFELDII *Antiq. Gandersh. a pag. 281. usqve 302.* Sed mallem, ne Hermannum A. MCXXX. proſcriptum, diſtingueret ab illo, qvem A. MCLII. ob adulterium occiſum, notavimus, qva ratione Patri adſcribitur, qvod tamen de filio unice eſt intelligendum. Secutus mihi in hoc videtur MEIBOM. *Chron. Marienth. Tom. III. Scrip. Germ. p. 256.* Verum, aliud docet THEOD. ENGELHUSIUS *in vitis Imperatorum ex Domo Brunſvicenſi, ap.* MADERUM *Antiq. Brunſvicenſ. pag. 60. Sed Lotharius, cujus erga vocationem gentium, ſem-*

ſemper virtus fuit & intentio, pacem reformavit inter Slavos & Saxones, dans Ducatum Saxoniae Henrico genero ſuo, Duci Bavariae. Ipſe autem fecit primum Lantgravium Thuringiae Ludowicum, cujus pater conſtruxit Reynebornе. *Nam antea terra Thuringiae fuit ſub Comite de* Winzigeborg. *Hermannus autem Comes ibidem, qvia occidit dominum ſuum Udonem Marchionem, factus reus laeſae majeſtatis, tradidit ſe cum caſtro Imperatori. Iſte Comes, poſtqvam non ceſſavit a tyrannide cum uxore ſua Lutgard impraegnata, qvam prima dimiſſa duxerat, a miniſterialibus Hildeſemenſis dioeceſeos gladio transverberatus eſt in lecto, III. Kl. Febr. anno Domini MCLII. Idem Comes poſt VII. diem obitus, apparuit praepoſito Paludenſi, conventu praeſente, ignita lorica veſtitus.* Manifeſto itaqve & expreſſis verbis, haecce probant adducta Engelhuſii verba, Hermannum, cujus caſtrum, ob crimen contra Majeſtatem Imperatoris commiſſum, a Lothario deſtructum, eundem eſſe cum illo MCLII. occiſo, qvamvis in eo errare videatur, qvod, qvem alii Burchardum de Luckenem nominant, Udonem Marchionem dicat. Imo clarius explicat ABBAS REINHUSANUS coaevus, ſupra citatus, qvando relictos, Hermanni, Diterici filii, poſt ſuum in Bavariam diſceſſum, filios, parvulos vocat, atqve ſimul Henricum, matura & miſera morte defunctum indicat. Henricum vero A. MCXXVII. mortuum certum eſt, tribus, ante Hermanni proſcriptionem, annis. Nec parvulus A. MCXXX. vocari potuiſſet cum fratre, etiamſi illo tempore adhuc vixiſſet, cum in diplomate fundationis Reinhuſani, qvod ſupra de A. MC. *pag. 61.* adduximus, inter eos, qvi ſubſcripſerunt, nominentur. Unde, diu ante MCXXX. Hermannum I. mortuum, hiſce nixi fundamentis, aſſerimus. Ejusdem nobiſcum eſt ſententiae, Letzneri autoritate ſuffultus, HEINECCIUS *Antiq.*

tiq. Goſl. p. 130. qvi etiam cauſam indicat ex eodem, confuſi vulgo Daſſelienſis & Wincenburgenſis ſtemmatis. Nec minus ibi reperitur integra Wincenburgica ſtirps, qvorſum Lectorem remittimus, niſi qvod poſteriorem ejus partem, qvod ſexum ſeqviorem attinet, ſuppleamus.

Dietericus —— Mathildis *filia Ellonis Domini de Reynehuſen & Lichen, Abb. Reinhuſ. cit. l.*

Hermannus *Com. Wincenburgicus. Landgravius Thuringiae primus*

Theodericus *Epiſcopus Monaſterienſis.*	*NN. nupta Udoni Comiti Stadenſi, Rudolphi I. filio Alb. Stad. p. 272.*	Henricus *obiit 1127.*	Hermannus *Com. Wincenb. Landgravius Thuringiae II. proſcriptus 1130. occiſus 1152.* *1.) NN. dimiſſa. 2.)* Lucardis *filia Rudolphi I. Comit. ſtad. Vidua 1.)* Friderici *Jun. Com. Palat. Saxonici 2.)* Herici *cogn. Lamm. Regis Daniae. Alb. ſtad.*

Children of Henricus: Henricus de Aslo, Hermannus. *vid. de utroqve Alb. Stad.*

Children of Hermannus:

NN. nupta Henrico Comiti de Schwartzburg, in latrina Erfordiae ſuffocato, Alb. Stad. p. 273.	*NN. Magnus Burtzius Daniae Dux, Alb. Stad. cit. l.*	Hedwigis *monialis Gandersh.*

Sed

Sed addamus adhuc Orlamundanum Stemma, in qvantum ſupra ejus mentio facta.

Wilhelmus *Orlamundanus & Vinarienſis Comes, apud Ditm. L. IV.*

Otto *ambit Marchionatum Thuringiae, 1157. occiſus.*	Wilhelmus I. *Marchio Thuringiae ob. 1156. Uxor,* Oda, *nupta dein Dedoni I. March. Miſn.*

Kribo *Diaconus, Lamb. Schaff.*	Wilhelmus II. *March. Thuringiae deſponſatus filiae Belae Regis Ungar. Jojadae, obiit ſponſus 1161.*	Otto II. *March. Thuringiae. Uxor Adela filia Brabantiae ducis, poſt Ottonis mortem nupta Dedoni I. Marchioni Miſn. Otto, mortuus 1167.*	Agnes *nupta Friderico I. Comiti Palat. Sax. e Gozecenſi ſtirpe.*

§. XXVI.

Atqve hic eſt finis Comitum Wincenburgicorum, ſuo tempore olim potentiſſimorum, atqve origo Landgraviatus Thuringici, ad Ludovicum & poſteros ejus translati, qvos male ex Aurelianenſi Stemmate derivari, probat PISTORIUS *Praefat. Tom. I. Rer. Germ.* Legenda vero Bonifacii apud TENTZEL. *hiſt. Goth. Suppl. II. p. 343.* ex progenie illorum de Stouffa deducit. Unde ſi Ludovicum apud ſcriptores primum Landgravium legimus, hoc de Landgraviatu, primum ad ejus familiam translato, intelligendum videtur. Coeterum, illuſtrem ſatis Hermannorum Thuringiae Landgraviatum fuiſſe videtur, & qvamvis, ne diu in Wincenburgica gente ſtaret, Hermanni II. fortuna adverſa prohibuerit, latioribus tamen finibus, per utramqve

adhuc Thuringiam extenſam fuiſſe, judico. Servavit enim ſibi in Ludovici donatione, ſine dubio, Lotharius Imperator, Borealem, qvantum ſcilicet in ea poteſtatis conceſſerant Marchionibus & dein Winzenburgicis Comitibus, Anteceſſores, una cum reliqva Saxonia ad generum Henricum translatam. Firmat id mentio donatae tantum Haſſiae & Thuringiae, ſive Thuringiae Auſtralis ſ. Francicae (ad eam enim ex ſuffragio Viri Clariſſ. LUDOVICI *in Germ. Princ. Cap. de Sax. p. 94.* Haſſiam referimus) Ludovico Comiti Provinciali, & tantum etiam ejus poſteri poſſederunt. Qvae vero poſt Henrici Leonis fata, Saxoniae Epiſcopis, qvi potentiam ejus metuebant, in interitum ejus conſpirantibus, in Thuringia Boreali ſecuta ſit mutatio, ejusdem temporis ſcriptores abunde docent. Unicum addo, Borealem Thuringiam inde in Saxoniae nomen tranſiiſſe, eamqve cauſam eſſe judico, cur dein poſtqvam in Circulos diviſa fuit Germania, Circulo inferioris Saxoniae fuerit annumerata. Ita enim HENR. BODO *in Syntagm. Eccl. Gandersh. Ipſa terra (Northdoringlant) qvia jam ad Saxones longiuſcule pertinuit, nomen illi mutatum eſt, & orientalis plaga Saxoniae vocatur.* Coeterum haud exiguum Dignitatis Comitum Provincialium Thuringiae ornamentum ſemper fuit, Jus in Comitiis ſuffragium dicendi, qvod, ne cui dubium ſit, Doctiſſimo Programmate probavit Vir Clariſſimus DN. HORNIUS. Plura ſi qvis ſcire velit de Landgraviatu Thuringico, ejusqve poſterioribus ſeculis inſecutis mutationibus, adeat rerum Thuringicarum ſcriptores, qvos in compendio exhibet LUDOVICUS *Germ. Princ. Cap. de Sax. pag. 239.*

Digitized by Google